



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Tractatus De divina Gratia sanctificante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)



# TRACTATUS

## DE

### DIVINA GRATIA SANCTIFICANTE.

**T**urbulentam errorum catervam circa gratiae sanctificantis dogmata excitârunt Lutherus, Calvinus, Kemnitius, & alij, quos referunt, & refellunt Osius Tract. 2. futurorum operum lib. 1. de Heresib. nostri temporis foliò 221. Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 3. Canisius lib. 5. de Beata Virgine cap. 5. aliique Controversistae, quos citat Valquez disput. 202. cap. 1. Becanus Tractat. 4. cap. 2. Valentia quaest. 5. puncto 3. qui omnes viginti Haëreticorum deliria circa dogmata justificantis gratiae congerunt. Ovidus autem controversia 1. de gratia Puncto 1. ea omnia Haëreticorum deliramenta ad quinque præcipua capita accuratè reduxit, & certè ex his omnes alij errores descendunt. Primus igitur Haëreticorum error est, formam sanctificantem solum esse prævisionem, remissionem peccatorum, & non justitiam aliquam positivam. Secundus, esse quidem positivam justitiam, non tamen inhærentem, & intrinsicam, sed extrinsecè tantum nobis imputatam, consistentem aut in solis Christi meritis, aut in ipsa justitia, qua Deus justus est. Tertius error est eorum, qui dicunt, gratiam sanctificantem esse quidem qualitatem intrinsicam, & inhærentem, inchoatam tamen, & imperfectam, & quasi dispositivè tantum se habentem, proindeque non esse formam, quæ reverà justificet, sed dispositionem ad formam justificantem, consistentem vel in justitia Christi, vel in sola Dei misericordia. Quartus error est eorum, qui ajunt, esse formam intrinsicam, & completam, sed indistinctam à fide. Quintus tandem est eo-

rum, qui docent, eam gratiae formam non remittere, sed tantum tegere peccata; hos omnes errores condemnavit Tridentinum tota fere sess. 6. præsertim Cap. 7 ubi ait: *Unica formalis causa nostra justificationis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justii nominamur, & sumus justitiam in nobis recipientes, & postea subdit, Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur fides, spes, & charitatem.* Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque Corporis ejus vivum membrum efficit; qua ratione verissimè dicitur, *fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse:* quibus in verbis definitur, gratiam sanctificantem esse justitiam positivam nobis intrinsicam, & inhærentem, ideòque distinctam à justitia, qua Deus justus est; sanctificantem quidem non ut puram dispositionem, sed ut veram formam distinctam à fide, proindeque non tegere, sed verè delere peccata; ex quo scripti manent omnes illi Haëreticorum errores, simulque constat, gratiam sanctificantem sumi à Theologis in præsentip pro forma supernaturali in nobis recepta, seu qua intrinsicè renovamur, sumusque verè justii coram Deo. De hac ergo forma justificante, nobisque inhærente tum physicè, tum metaphysicè considerata, quærimus in præsentii essentiam, & proprietates, pro quorum explicatione sic

## DISPUTATIO I.

### DE GRATIA JUSTIFICANTE PHYSICE SUMPTA.

**G**ratiam sanctificantem, de qua agimus, esse quasi naturam in ordine superno, certum est apud Theologos; nam per illam regeneramur Deo, ut dicitur 1. Petri 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos.* Et ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.* R. P. Gorman Theolog. Tom. I.

*ut justificati gratiâ ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Unde, sicut generatio naturalis affert nobis naturam in ordine naturali, sive cui debeantur proprietates nobis naturales; ita regeneratio in ordine supernaturali affert nobis quasi naturam in ordine supernaturali, cui debentur dona, seu proprietates supernaturales; sic 2. Petri 1. *Gratia vobis,*



bis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Jesu Domini Nostri &c. per quæ maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divina consortes naturæ. Tum etiam Tridentinum sess. 6. Cap. 3. Nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur. Cum ea renascentia per meritum Passionis ejus, gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur, & Cap. 4. quibus verbis justificationis impii descriptio insinuat, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Ade in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum. Unde, sicut in prima naturali generatione manemus filij naturales patris naturaliter nos generantis; ita in hac gratiosa regeneratione manemus filij adoptivi ipsius Dei per suam gratiam in filios ipsius nos adoptantis; quæ certè satis sunt ad cognoscendam præstantiam hujus divinæ gratiæ. Hæc autem est radix, cui debentur omnes habitus per se infusi, qui sunt quasi potentia in ordine supernaturali: at, quia isti habitus non recipiuntur in gratia, sicut naturales proprietates recipiuntur in sua natura, neque gratiam informant, sed recipiuntur in nobis, nosque denominant fideles, sperantes amicos, & filios Dei &c. Ea de causa gratia illas potentias radicans non dicitur absolute natura, sed quasi natura.

## SECTIO I.

### De Essentia & Proprietatibus Physicis gratiæ sanctificantis.

3. **A**ssero 1. Gratia nos sanctificans non est substantia, sed accidens. Probat. 1. Gratia nos sanctificans recipitur in nobis, atque nobis inhæret, ut definit Tridentinum citatum num. 1. & quidem, ut donum realiter adæquatè distinctum à supposito; quando enim per peccatum lethale destruitur gratia in peccatore, non exinde destruitur suppositum hominis, aut aliquid cum eo supposito realiter identificatum: atqui donum in nobis receptum, nobisque inhærens, atque à supposito realiter adæquatè distinctum non est substantia, sed accidens; ut patet ex inductione per omnia accidentia; ex eo enim, quod albedo, nigredo, actus vitales, sive naturales, sive supernaturales in nobis recipiantur, nobisque inhæreant, ut realiter adæquatè distincta à supposito, non sunt substantia, sed accidens; ergo &c.
4. Probat 2. Gratia nos sanctificans est qualitas permanens, se habens ex parte potentiae, sive habitus; atqui qualitas permanens, sive habitus, non sunt substantia, sed accidens; ergo &c. Probat. maj. Omnia munia, quæ Tridentinum attribuit gratiæ, sunt propria habitus, seu qualitatibus permanentibus, habentibus se ex parte potentiae, ut expendenti constabit;

ergo &c. Confirmatur ex Concilio Viennensi, approbante sententiam, quæ dicebat, parvulis, & adultis in Baptismo infundi hanc gratiam sanctificantem quoad habitum, licet parvulis non infundatur quoad usum, ut habetur in Clementina de Trinitate, & Catholica Fide, per hæc verba: Verum, quia, quantum ad effectum Baptismi in parvulis reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, alii contra asserentibus, quod & culpa iisdem in Baptismo remittitur, & virtutes, ac informant gratia infunditur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus Baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem ex dictis SS. ac Doctorum modernorum Theologiæ, magis consonam, & concordem Sacro approbante Concilio, duximus eligendam. Vide Catechismum Tridentinum num. sequenti.

Assero 2. Gratia nos justificans non est qualitas mortua per se transiens, neque est actus vitalis, sed qualitas per se permanens, sive habitus. Probat. 1. ex Concilio Viennensi citato num. superiori approbante, expresse est habitus; atqui habitus non est actus vitalis, aut qualitas mortua per se transiens, sed qualitas per se permanens, seque habens ex parte potentiae; ergo &c. Confirmatur 1. Parvuli nullos supernaturales actus eliciunt; atqui gratia habitualis infunditur parvulis, ut constat ex ipso Viennensi, & Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali, ubi ait: Si quis per Jesum Christum Dominum Nostri gratiam, quæ Baptismate confertur, reatum originalis peccati negat, aut etiam asserit, non tollitur id, quod verum, & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, Anathema sit; ergo &c. Confirmatur 2. ex Catechismo Tridentino Titulo de Baptismo dicente: Est autem gratia (quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum poenâ Anathematis decrevit) non solum, per quam peccatorum sit remissio, sed divina qualitas in anima inherens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsarumque animarum pulchriores, & splendidiores reddit; ergo &c. Confirmatur 3. ex ipso Tridentino sess. 6. Cap. 7. dicente: Itaque veram, & christiannam justitiam accipientes eam, cum primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam candidam, & immaculatam, possidemus statim renati conservare, ut eam persequamur ante tribunal Domini Nostri Jesu Christi, & habeamus vitam æternam. Ubi persequamur gratiam



re gratiam conservatam ut stolam candidam, certe significat, gratiam esse permanentem; aliter iustificatus non posset illam ut stolam ferre; ergo &c.

6. Prob. 2. Illa est qualitas permanens, seu habitus, quæ ita manet in anima, ut per nostra merita revera possit augeri; sed talis est gratia, quæ nos sanctificat; ergo &c. Probat min. ex Tridentino sess. 6. Cap. 10. ubi de iustificatis ait: *Per observantiam mandatorum Dei, & Ecclesia in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta cooperante fide bonis operibus crescunt*, quod etiam definit Canon. 32. de iustificatione; ergo &c. Confirmatur 1. ex Concilio Moguntino Tridentini fidelissimo interprete inter Capitula ad fidem pertinentia Cap. 5. dicente: *Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & Spiritum Sanctum una cum fide simul charitatem in corde diffusam, ac spem accipit, hisque Dei donis in ipso permanentibus non jam solum repetatur, aut nominatur, sed vere erit iustus, non tam suâ propriâ, aut suis meritis comparatâ, sed ex gratia Dei per Christum donatâ, & communicatâ iustitiâ*. Hoc enim Provinciale Concilium inchoatum fuit sub Sebastiano Archiepiscopo Moguntino sexta Maij 1549. sess. verò sexta Tridentini habit fuit sub Paulo III. die 13. Januarij 1547. ut videas, quàm recentem tradita erat à Tridentino ea doctrina, quam Concilium Moguntinum & explicandam, & defendendam susceperat; atqui ibi de gratia, & virtutibus in iustificatione acceptis expressè dicitur, hisque Dei donis in ipso permanentibus; ergo &c.

7. Confirmatur 2. Licet inherencia philosophicè sumpta comprehendat qualitates successivas; at Theologicè accepta solum se extendit ad qualitates permanentes; atqui gratia, quæ, cum sit potentiarum supernarum radix, se habet ex parte potentia, inheret animæ, ut definit Tridentinum; ergo indubitabile omnino est ex doctrina, & defensione Tridentini, gratiam, qua iustificamur, esse qualitatem stabilem, se habentem ex parte potentia, siue habitum. Min. & consequenter. Maj. autem patet ex historia Tridentini, quam tradit Cardinalis Pallavicinus parte 1 lib. 8. Capit. 14. per hæc verba: *Denique considero, quod mens Concilij fuit, stabilire habitum infusum iustitiæ, & non meram iustitiam intrinsecam, non determinandâ, an illa sit actus, vel habitus? quod mihi redditur notum, propterea, quod tunc requirente quodam, ut magis expresse declararetur fieri iustitiam per habitum infusum, responderunt deputati, satis hoc declarari voce inherencia, quæ importat stabilitatem, & convenit habitibus, & non actibus*; ergo &c. Confirmatur 3. ex Paulo 1. Corinth. 13. dicente: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, hæc tria, major autem horum est charitas, ubi virtutes has permanentes appellat*; ergo &c.

8. Quare communis sententia Theologorum R. P. Gorman Theolog. Tom. 1.

docet, non solum esse utcumque certam assertionem nostram, sed esse certam de fide. Primò. Quia expressè habetur in Concilio Viennensi adducto num. 4. Secundò. Quia, licet sub formalibus vocibus permanentiæ non definitur à Tridentino, definitur tamen sub æquivalentibus, quandoquidem ait: *Esse iustitiam à Deo infusam, nobis inhaerentem, capacem augmenti, quamq. per bona opera augere possumus, & ante tribunal Christi tamquam stolam perferre*, quæ certè sunt verba æquivalentia habitui, aut qualitati permanenti, & quibus significatur, non minus conferri nobis gratiam permanentem, quando confertur per bona opera, ac quando confertur per Sacramenta; ut autem aliqua propositio sit de fide, non requiritur, quòd sit definita iisdem verbis formalibus, quibus illam pronunciamus, sed sat est, quòd sub æquivalentibus verbis sit definita; aliter propositio definita sub verbis latinis non esset de fide sub verbis Italis, Hispanis, aut alterius idiomatis, quod dici non potest.

Assero 3. cum Eximio Doctore lib. 7. de gratia Cap. 9. & 10. habitualis gratia iustificans essentialiter sumpta est qualitas distincta realiter à virtutibus per se infusis; at integraliter accepta complectitur etiam earum virtutum habitus. Probat. prima pars ex Concilio Viennensi citato num. 4. conciliariter approbante sententiam docentem, tam parvulis, quàm adultis in Baptismo conferri informantem gratiam, & virtutes, quibus in verbis manifestè contradistingui gratiam iustificantem essentialiter sumptam ab omnibus virtutibus per se infusis; ergo &c. Confirmatur 1. Quia virtutes per se infusæ sunt dona comitantia gratiam, atque radicata in ipsa gratia; atqui ista dona distinguuntur à gratia essentialiter sumpta, ut constat ex Trident. sess. 6. Cap. 1. ubi de forma iustificante ait: *Quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, quod etiam tradit Mogunt. citatum num. 6. ergo &c. Confirmatur 2. Quia, ut constat ex n. 2. gratia iustificans respectu virtutum per se infusarum se habet quasi natura respectu suarum proprietatum; atqui natura essentialiter sumpta distinguitur à suis proprietatibus; ergo &c. Confirmatur 3. Quodvis lethale peccatum expellit gratiam secundum totum suum essentialiter constitutivum; atqui non expellit habitus per se infusos fidei, & spei; ergo &c. Confirmatur 4. Gratia iustificans essentialiter sumpta distinguitur realiter ab habitu charitatis, ut constabit à num. 13. ergo potiori jure à reliquis virtutum habitibus.

Probat. 2. pars. Gratia iustificans est quasi natura in ordine superno, cui tamquam proprietates debentur habitus virtutum per se infusarum, ut constat ex num. 2. & ex Conciliis superius adductis, ubique docentibus, eas virtutes semper comitari gratiam adhuc in



parvalis; atqui natura integraliter sumpta ultra suam essentiam complectitur etiam suas proprietates; ergo &c. Confirmatur 1. Tridentinum adductum num. superiori docet, justificationem fieri per *voluntariam susceptionem gratiae, & donorum*, ubi explicat, justificationem non solum essentialiter, sed etiam integraliter acceptam, atque complectentem ipsa dona; ergo &c. Confirmatur 2. Quia, ut Theologi omnes fatentur juxta doctrinam Scripturae, Conciliorum, & Patrum, gratia justificans est radicalis, universalis rectitudo, quatenus habitus virtutum perfecte infusarum debentur homini justo, ut sit proximè potens ad eliciendos supernos virtutum actus consentaneos illi statui, ad quem elevatus est per gratiam; ita, ut si propter præceptum, decretum Dei, aut quodvis aliud adveniens extrinsecum impedimentum habitus illi operari non possint illorum influxum, suppleat omnipotentia specialiter locò eorum applicata; atqui talis universalis rectitudo integraliter accepta comprehendit eos virtutum habitus; ergo &c.

11. Idcirco, ut optimè notavit Exim. Doctor, sicut virtutes per se infusae ad valde diversa munia exiguntur à gratia; ita quoque pertinent valde diversò modò ad gratiae integritatem. Quare virtutes Theologicae, fidei, spei, & charitatis, cum sint quasi per se primò necessariae ad tendendum in Deum, quem habent pro formali objecto immediato, nobiliori modò integrant justificantem gratiam, quam virtutes morales, utpote non respicientes Deum tanquam objectum formale; rursus inter Theologicas virtutes nobilior est charitas; ut ait Paulus citat. num. 6. Haec enim est proximè conjuncta cum gratia, & ex parte hominis complet vinculum amicitiae cum Deo, tum respectu aliarum virtutum comparatur, ut forma ordinans illas ad supremum ultimum finem; unde est maximè necessaria ad hoc justitiae complementum, ideòque solet appellari justitia.

12. Fides verò est necessaria tanquam fundamentum justitiae, sine qua impossibile est placere Deo, ut ait Trident. sess. 6. Cap. 8. Ad illam autem accedit spes tanquam aliquomodo promovens illud fundamentum, & robur illi tribuens. Reliqua verò dona, seu virtutes morales sunt veluti justitiae instrumenta, necessaria ad operandam, & conservandam justitiam; unde haec omnia unumquodque in suo ordine, & gradu ad justitiae integritatem concurrunt. At, sicut natura pro diverso subiecti statu exigere solet diversum complementum ad subiecti integritatem, sic natura capillos in barba non exigit ad integritatem pueri, bene verò ad integritatem adulti; ita gratia in statu viæ non exigit habitum luminis gloriæ, bene verò in statu patriæ, in quo juxta communem Theologorum neque fidem, neque spem exigit.

Assero 4. cum D. Thoma, Eximio Doctore, plurimisque aliis contra plures alios Theologos; habitualis gratia justificans, quæ de facto datur, distinguitur realiter ab habitu virtutis charitatis. Ad clariorem autem assertionis nostræ intelligentiam notare oportet, hoc nomen *charitas* triplicem habere præcipuam significationem in Scripturis, Conciliis, & Patribus. Sumitur primò pro persona, quæ diligendò nos, sua nobis dona communicat, quo in sensu 1. Joanis 4. vocatur *Deus Charitas, Deus Charitas est*. Secundò sumitur pro ipsis donis, quæ à Deo diligente nos misericorditer accipimus, quo in sensu 1. Joannis 3. dicitur, *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & simus*. Atque in hac acceptione gratia justificans dicitur etiam charitas, & quidem nobiliori modò, quàm alia dona, quæ nobis in via infunduntur; ut notavit Eximius Doctor disp. 3. de gratia libro 6. Cap. 16. atque ex ipso Ripalda in Praefatione ad Tractat. de Charitate, quandoquidem gratia est donum à Deo diligente nos misericorditer collatum. Sic etiam elemolina, quæ ab homine misericorde erogatur pauperi, dicitur in hoc sensu charitas. Tertiò sumitur pro habitu, seu virtute per se infusa. citiva actum charitatis, quo in sensu sumitur in præfenti, & de qua ait August. lib. de Spiritu, & littera Cap. 32. *Charitas Dei diffusa est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores sui*, sicut justitia Dei, qua iusti ejus munere efficiuntur, & Domini salus, qua nos salvos facit, & bides Jesu Christi, qua nos fideles facit; quare sumpta charitate pro habitu virtutis, aliterimus, gratiam sanctificantem, quæ de facto datur, esse qualitatem distinctam realiter ab habitu charitatis.

Probat. 1. conclusio ratione fundamentaliter licet de potentia absoluta non repugnet habitus gratiae sanctificantis, qui simul sit habitus virtutis charitatis: at habitus gratiae sanctificantis, qui de facto datur, distinguitur realiter ab habitu virtutis charitatis; ergo &c. Prob. ant. Habitus gratiae sanctificantis, qui de facto, datur asserendus est, qualis traditur à Scriptura, Conciliis, & Patribus; atqui à Scriptura, Conciliis, & Patribus traditur de facto distinctus realiter ab habitu virtutis charitatis; ergo &c. Prob. min. in primis ex Scriptura; Nam 2. ad Corinth. 13. dicitur, *gratia Domini nostri JESU Christi, & charitas Dei sit cum omnibus vobis*. Ubi hæc gratia, de qua agimus, accepta per Christum exprimitur reverè distincta à virtute charitatis. Tum & ad Ephel. 6. *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino JESU Christo gratia cum omnibus, qui diligunt Deum*. ubi Apostolus eodem modo loquitur de fide distincta à charitate; sicut de charitate distincta à gratia, & à fide. Sic ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis*. Ubi



Ubi charitas significatur tanquam proprietas doni à nobis accepti per Spiritum Sanctum; sed tale donum est gratia sanctificans; ergo &c.

15. Prob. iterum illa eadem min. ex Concilijs, exponentibus Sacram Scripturam eodem prorsus sensu, ac nos illam exponimus. Concilium enim Viennense citatum num. 9. tam parvulis, quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, ubi manifestè contradistinguit gratiam justificantem à virtutibus tum etiam Trident. sess. 6. cap. 7. dum ait: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem.* Ibi enim expressè docet, in ipsa justificatione, sive receptione gratiæ justificantis dari cum remissione peccatorum tanquam comites gratiæ justificantis fidem, spem, & charitates, quod ad omnem prorsus dubitationem depellendam declarat Concilium Moguntinum citatum n. 6. per hæc verba: *Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per Spiritum Sanctum una cum fide simul charitatem in corde diffusa accipit.* Quid clarius? Pariter Catechismus Trid. Titulo de Baptismo: huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinis infunduntur, si ergo omnes virtutes infusæ sunt comites gratiæ justificantis, certè habitus virtutis charitatis est comes gratiæ, proindeque distinguitur realiter à gratia, quod idem inferitur ex August. citato num. 13. & ex D. Thoma citando num. 17. ergo &c. Quare cum de supernis donis solum possumus loqui ex revelatis, nobisque traditis per Scripturam, Concilia, & Patres, nostra conclusio adeò mihi clara ab ipsis tradita videtur, ut dubitare non possum.

16. Prob. 2. Licet munia gratiæ justificantis quandoque tribuantur habitui virtutis charitatis, sed non sufficit ad identificandum habitum virtutis charitatis cum gratia justificante; ergo nullum est fundamentum ad identificandum habitum virtutis charitatis cum gratia justificante. Prob. ant. Adtribuendum uni habitui munus alterius, non requiritur, quòd identificetur cum altero, sed quòd ad alterius munus præstandum aliquo speciali modò concurrat. Sic soli tribuitur illuminare, quia concurrat ad producendam lucem, sic instrumento tribuitur effectus, quia ad effectum principalis causæ concurrat, ut medicina ad salutem, baculus ad deambulationem &c. Quare, quòd nobilius, aptius, & proximius est instrumentum, eò nobiliori modò tribuitur illi effectus suæ causæ principalis, ideoque virtutibus per se infusis, cum sint instrumentum gratiæ sanctificantis, tribui aliquo modo potest effectus sanctificandi; sic tribuitur virtuti obedientiæ Proverb. 21. *Vir obediens loquetur victorias, & fidelitatis Apocalypsis 2. Ego fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vite;* unde virtutibus Theologis utpote nobilioribus, & a-

prioribus nobiliori modò tribuitur, sic de fide dicitur ad Rom. 11. *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputetur fides ejus ad justitiam.* Quod etiam habetur Joan. 1. & 5. Actorum 10. & alibi sæpè. De spe ad Rom. 8. *Spe enim salvi facti sumus.* De charitate 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Quod etiam habetur ad Coloss. 3. Proverb. 10. & alibi sæpè.

Ex quibus omnibus ita formatur argumentum. Licet virtutibus moralibus per se infusis, atque virtutibus Theologicis fidei, & spei tribuatur justificatio; at ex eo, quòd sint virtutes per se infusæ, sunt in hac providentia quasi potentiae radicatæ in gratia tanquam in natura ordinis superni, proindeque non tribuitur illis tanquam formæ justificanti, sed tanquam illius instrumentis; ergo, licet charitati tribuatur etiam justificatio, at ex eo, quòd sit virtus per se infusa, proindeque radicata in gratia, non tribuetur charitati justificatio tanquam formæ justificanti, sed tanquam illius instrumento. Unde D. Thomas quæst. 27. de Veritate ait: *Charitatem distinguere filios regni à filiis perditionis, in quantum non potest esse in formis, hoc est sine habitu gratiæ.* Quare, cum charitas sit nobilior instrumentum inter tres virtutes Theologicas, ut constat ex Paulo 1. Corinth. 13. *Tria hæc, major autem horum est charitas,* exinde illi nobiliori modò, quàm alijs virtutibus tribui poterit justificatio. Ex dictis.

Fit 1. Justificationem non sumi in præsentem 18. pro forensi pura declaratione justitiæ & innocentiae, quæ sæpè solet peccator declarari ille, qui est innocens, aut declarari innocens ille, qui reverà est peccator. Quòd, quando finitè fit abominabile est apud Deum. Sic Isaia 5. *Va, qui justificatis impium promuneribus, & justitiam justis auferitis ab eo.* Sic etiam Proverb. 17. & Luce 10. Quare, quando Deus impium justificat, verbum *justifico* aliam debet habere significationem; hæc autem est illa, quam tradunt Scriptura, Concilia, & Patres, dum dicunt, hominem justificari à Deo per hanc gratiam, qua deletur peccatum, & homo fit amicus Dei, habetque jus ad æternam Dei hæreditatem; ideoque, ut dicitur Ezechielis 33. *Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei;* per quæ verba non significatur manere peccatum, & non imputari, sed significatur, non imputari, quia reverà per Dei gratiam deletum, remissum, & destructum est. Hæc autem est ratio, quare juxta phrasim Scripturæ peccatum esse rectum in oculis Dei, perinde est, ac esse destructum, ac remissum; si enim non esset destructum, nullum dari posset tegumentum, quo Deo celaretur, atque in hoc sensu intelligitur illud Psalmi 31. *Beati, quorum remisse sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata;* & illud Psalmi 81. *Operuisti omnia peccata eorum.* Idque inferitur etiam à ratione ex regula interpretandi Scripturas, in quibus



bus, quando verbo propriè significanti additur aliud significans metaphoricè, quantum fieri potest, retinenda est significatio propria, unde, cum in eo textu dicantur, *remissa iniquitates, & tecta peccata*, non trahenda est significatio propria verbi *remitto* ad metaphoricam significationem verbi *tego*, sed è contra. videatur Exim. Doctor lib. 7. de gratia cap. 10. num. 11.

19. Fit 2. Similitudines, cum non sint identitates, intelligendas, & exponendas esse per convenientiam quoad aliqua, non quoad omnia; unde, quando Paulus dixit ad Romanos 5. *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi*. Convenientia in eo stat, quòd, sicut ex uno homine, nempe Adamo per inobedientiam culpa duxit originem, ita ex uno homine, nempe Christo per obedientiam justificatio duxit originem; at cum hoc rectè fiat disconvenientia in aliis: nam peccatum inobedientiæ Adami non se extendit ad aliquos actu realiter, & absolutè productos ante Adamum; meritum verò Christi se extendit ad omnes homines, non solum post Christum, sed etiam absolutè productos ante Christum; aliud quoque est discrimen, quia Christus merens se habet, sicut causa universalis ad eum modum, quo Deus concurrit cum creaturis, qui non expellit, sed requirit simultaneum creaturæ concursum; ita, ut creatura, quæ simultaneè non concurrit, nullo modò physicè concurrat; ita etiam merita Christi requirunt simultaneum concursum, vel quo parvulis applicatur Baptismus, vel quo adulti cum gratia auxiliante cooperantur, ita, ut si non cooperentur, nequaquam mereantur.

20. Quare, sicut malè argueretur, quòd omnipotentia non haberet infinitam virtutem, quia non facit omnia se solo, sed facit plura cum simultaneo creaturæ concursu; ita malè argueretur, quòd Christi merita non sint infinita ex eo, quòd nolit dare creaturis gloriam, aut gratiam justificantem absque simultaneo earum concursu: ex quo, sicut parvulis applicatur, atque ab ipsis contrahitur peccatum Adami media generatione, ita applicantur parvulis in Baptismo merita Christi per regenerationem: at peccatum originale non est qualitas intrinseca, sicut gratia, qua parvuli ex Christi meritis regenerantur, in quo merita Christi excedunt peccatum Adæ quoad influxum in posteros; excedunt insuper, quia adultis, quamvis regenerati non sint, conferuntur media ex influxu meritorum Christi, quibus, si per ipsos non ster, possint ad regenerationem pervenire, ut latè diximus agentes de auxiliis.

## SECTIO II.

### Solvuntur Opposita.

21. Objicies 1. contra primam conclusionem: Gratia nos sanctificans vocatur ad Roma-

nos 3. *justitia Dei*, & 1. Corinthiorum 1. dicitur etiam *Christus justificatio*, & *sanctificatio nostra*; atqui justitia Dei, & Christus Dominus non sunt accidens, sed substantia; ergo gratia, qua justificamur, non est accidens, sed substantia. Confirmatur. Gratia, qua sanctificamur, non est aliquid intrinsecum, quo deleantur peccata, sed purè extrinsecum, quo peccata teguntur; ergo non est accidens nobis intrinsecum, sed substantia, live sanctitas Dei nobis extrinseca. Probat. anteced. ex Psalmo 31. dicente: *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*; quod etiam habetur Psalmo 84. ergo &c.

Respondeo dist. maj. vocatur justitia Dei, & Christus justificatio nostra causaliter, conc. formaliter, neg. maj. & concessa min. neg. consequent. quia gratia, qua sanctificamur, eareus dicitur justitia Dei, quatenus est, & datur nobis ab ipso Deo, ideòque, quia datur per merita Christi, dicitur etiam Christus sanctificatio nostra. At, cum ea gratia, quæ datur à Deo per merita Christi, neque sit ipse Deus, neque ipse Christus, exinde justitia nostra non dicitur formaliter, sed causaliter justitia Dei, & Christi, ut docet Tridentinum citat. num. 1. Sic sæpe in Scriptura Deus dicitur Sapientia, Virtus, & Fortitudo nostra, quod sanctè non intelligitur formaliter, sed solum causaliter, quatenus illa sunt dona nobis à Deo liberaliter concessa; si enim Apostolus omnibus omnia factus est, quia in omnium se se fundebat affectus, quid de Deo, & Christo dicendum erit, à quo, per quem, & in quo habemus omnia? Ad confirmationem neg. maj. ac probat. conc. anteced. & neg. conseq. quia peccata regi coram oculis Dei, est non remanere, & esse destructa; ac proinde in eo textu significatur dari nobis formam, per quam destruantur, quod etiam fit evidens ex regula interpretandi Scripturas adducta n. 18.

Objic. 2. contra secundam conclusionem. Habitus est qualitas se habens ex parte potentia ad producendum suos actus; atqui gratia non est qualitas productiva actuum, sed radicaliva virtutum producentium actus; ergo non est habitus. Confirmatur. Concilium Vienne non definivit ut certam sententiam dicentem, gratiam esse habitum, sed eam duntaxat admisit tanquam probabiliorē; ergo adhuc est probabile, quòd non sit habitus. Resp. 1. dist. maj. ad producendum ut principium proximum, vel remotum, conc. semper ut principium proximum, neg. maj. & per ut principium proximum, neg. consequentiam; quia ex eo, quòd gratia sit radix habituum immediatè producentium, est jam principium mediatè productivum, quod satis est ad constituendum in ratione habitus qualitatē permanentis gratia se habentem ex parte potentia, neque quāquam aliud desiderant Theologi in præsentia. Ad confirmationem omitto anteced. & neg. conseq. quia ex Tridentino satis inferitur, gratiam



gratiam justificantem habere omnia, quæ requiruntur ad rationem habitus, & id ipsum ostendunt Catechismus Trident. & Moguntinum, ut constat à num. 5. Dixi omitto ant. quia Theologi communiter censent, per ea verba Viennensis manere jam certam eam sententiam, quæ ante Conciliarem Viennensis approbationem erat inter DD. probabilior; si enim solum mansisset probabilior, quid egisset illa approbatio Concilij?

24. Objic. 3. contra tertiam assertionem, & præsertim contra primam partem. Tridentinum sess. 6. Cap. 11. damnat asserentes, homines justificari sola remissione peccatorum, exclusâ gratiâ, & charitate; & Cap. 7. dixerat de gratia, esse *sanctificationem per suspensionem gratiæ, & donorum*; tum etiam Scriptura sæpe citat. *Iustum ex fide vivere, atque fidem justificare*, ut constat ex num. 16. ergo gratia sanctificans essentialiter sumpta constituitur ex charitate, & ex fide, vel saltem aut sola charitas, aut sola fides sunt reverâ forma sanctificans. Respondeo 1. concess. ant. neg. conseq. quia, ut dicatur justificationem non fieri sine charitate, aliisque donis supernis, seu virtutibus per se infusis, fidei, spei, charitatis &c. satis est, quod gratia justificans non reperitur sine illis, at, ut ipsæ virtutes essent forma sanctificans, requirebatur, quod se ipsis formaliter sanctificarent, quod clarè pugnat cum Conciliis adductis tribuentibus hoc munus soli qualitatè gratiæ, ut constat ex dictis.

25. Objicies 4. contra alteram conclusionis partem. Actus fidei, & spei possunt manere in anima absque gratia sanctificante; ut patet in peccatore; ergo non sunt proprietates gratiæ, proindeque gratia non constituitur integraliter ex illis; sicuti natura integratur ex suis proprietatibus. Respondeo nego consequentiam; quia, licet fides, & spes non essent proprietates gratiæ, adhuc esset quasi proprietates; sicut gratia ipsa est quasi natura ex dictis num. 20. Quod satis erat, ut gratia integraretur ex illis habitibus. Ad eum modum, quo natura ex suis proprietatibus. Quin potius ad proprietatem non requiritur, quod non possit manere sine essentia, aut natura, cujus est proprietas; calor enim potest manere sine igne in ligno, & frigiditas absque aqua, & tamen calor est proprietas ignis, & frigiditas est proprietas aquæ: satis quidem est, quod natura exigat reperiri semper cum illis proprietatibus, quod jam convenit gratiæ, quæ nunquā absque illis virtutibus per se infusis reperitur.

26. Objicies 5. contra quartam conclusionem. Charitas juxta Scripturam est illa, qua fit homo filius Dei, ut constat ex illo 1. Joannis 3. *Videte, qualem charitatem dedit vobis Pater, ut filij DEI nominemur, & simus*; ergo charitas est gratia justificans. Confirmatur 1. ex Paulo 1. Corinth. 13. *Si charitatem non habuerit, nihil mihi prodest*; atqui, si gratia sanctificans distingueretur realiter à charitate, poterat Pau-

lo prodesse, licet charitatem non haberet; ergo &c. Confirmatur 2. Omnia munia gratiæ sanctificantis tribuuntur charitati in Sacra Scriptura. Sic ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate*. 1. Petri 4. *Charitas operis multitudinem peccatorum*. Proverbiorum 10. *Universa delicta operis charitas*. Ad Colossenses 3. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*; ergo charitas non distinguitur à gratia justificante. Retorqueri in primis posset argumentum in aliis virtutibus per se infusis, quibus tribuuntur munera charitatis, ut constat ex num. 16. Deinde in forma

Resp. 1. dist. ant. qua homo fit filius Dei, 27. si charitas sumatur pro dono nobis à Deo misericorditer collato, conc. si sumatur pro virtute, subdist. qua fit homo filius Dei arguitur, sumptò argumentò ex instrumento nobiliori gratiæ, conc. formaliter, neg. ant. & in eodem sensu conseq. ex dictis num. 15. & 17. Ad primam confirmationem conc. maj. & nego min. quia Paulus loquitur, prout res se habent in hac providentia, in qua nunquam reperitur charitas sine gratia, & gratia sine charitate, ut constat ex Viennensi, & Tridentino citatis num. 15. Ad secundam confirmationem dist. ant. tribuuntur charitati tamquā nobiliori instrumento, semperque conjuncto cum gratia, conc. tamquam qualitate se ipsa formaliter justificante, nego anteced. & conseq. Quod autem in eo sensu debeant exponi ea Scripturæ testimonia, constat ex aliis testimoniis Scripturæ, in quibus gratia traditur distincta à charitate, ut diximus num. 14. & ex Conciliis in sensu assertionis nostræ Scripturam exponentibus; ut constat ex num. 11. quin potius ait Amicus: hoc etiam inferitur ex intentione Apostoli, qui fideles hortabatur ad opera egregia charitatis, unionemque cum Deo in suis operibus, proindeque non loquebatur de habitu formaliter sanctificante, qui immediatè non est operativus; sed de habitu virtutis charitatis, aut de ipso actu, qui injusto deservit ad gratiæ incrementum, & in peccatore est ultima dispositio ad justificationem; quare Paulus ait, *inter virtutes majorem esse charitatem*, ut constat ex num. 7. licet gratia sanctificans sit major ipso habitu charitatis.

Objicies 6. Postquam Tridentinum sess. 6. 28. Cap. 7. dixit, *unica formalis causa nostre justificationis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit*, explicans hanc formam justificantem subjungit: *quamquam nemo potest esse justus, nisi cui merita Passionis Domini Nostri JESU Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissime Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inheret*; ergo ex Tridentino charitas se ipsa formaliter justificat. Confirm.



firm. 1. Trid. in eodem textu hæc verba immediate subiungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur fides, spes, & charitas*: & in illis verbis enumerat gratiam sub nomine charitatis: ergo &c. Confirm. 2. ex Augustino libro de natura, & gratia cap. 42. *Si in Abel iusto charitas Dei, qua una verè iustus est, quicunque iustus est.* & cap. 10. *Charitas ergo inchoata, inchoata iustitia est, charitas magna, magna iustitia est, charitas perfecta perfecta iustitia est.* & lib. 15. de Trinitate cap. 8. *Nullum est isto Dei dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*; ergo ex Augustino gratiæ sanctificans identificatur cum charitate. Confirm. 3. Si gratia sanctificans distingueretur à charitate, posset ab illa separari, & manere in peccatore charitas sine gratia, proindeque charitas non distingueretur filios regni à filiis perditionis æternæ.

29. Resp. conc. ant. & dist. conseq. charitas se ipsa formaliter iustificat, si sumatur charitas pro nobiliori dono collato misericorditer à Deo, conc. si sumatur pro virtute, neg. conseq. quia illud Trid. testimonium vel ita exponitur, ut significetur per Spiritum Sanctum specialiter in nobis inhabitantem per gratiam conferri quoque virtutem charitatis, sicut proprietates conferuntur, quando confertur natura: & sic per Spiritum Sanctum in sanctificatis specialiter inhabitat, conferuntur iusto fides, & spes, & charitas; vel ita exponitur Trid. ut in eo textu significetur ea gratia sanctificans, & vocetur charitas sumpta in sensu explicato num. 13. quocumque autem ex his modis accipitur, manifestè apparet, gratiam sanctificantem esse realiter distinctam à virtute charitatis, neque aliter exponi potest, quin adversetur doctrinæ Viennensis, ipsius Tridentini adducti num. 15. Moguntini, & Catechismi ipsius Tridentini, quæ contradictio nequaquam est admittenda. At nostram expositionem consentaneam omnino esse doctrinæ D. Thomæ constabit num. sequenti.

30. Ad primam Confirmationem conc. maj. & neg. min. quia Tridentinum in eo textu loquitur de donis comitantibus gratiam iustificantem, ut constat ex num. 15. ac proinde supponit ea dona distincta realiter à gratia sanctificante. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia Augustinus in illis te-

stimonijs aut loquitur de charitate contradistincta à virtute, aut sumpta pro nobiliori dono collato misericorditer à Deo diligente nos, qui quidem conceptus non quidem virtuti charitatis, sed gratiæ sanctificanti convenit. Si primum loquitur de justificatione arguitur, sed quid inde contra nos? vel loquitur de charitate non quidem habituali, sed actuali, ut alij intendunt, quæ est ultima dispositio ad gratiam, ideoque nunquam est informis, quod non convenit actibus aliarum virtutum; unde, quicunque iustificatur extra Sacramenta, sive vi dispositionis, quam agit, obtinet gratiam, & unica hac charitate actuali sic se disponere potest. Unde iustificatio convenit charitati actuali non quidem formaliter, sed dispositivè. Ad tertiam Confirmationem dist. ant. posset ab illa separari in alia providentia, conc. in hac providentia, neg. ant. & in eodem sensu conseq. quia, ut habet D. Thomas quest. 27. de Veritate artic. 2. ad 6. *Dicendum, quod hoc, quod charitas sola distinguit inter filios perditionis, & regni, convenit ei, in quantum non potest esse informis, sicut alie virtutes.* Unde per hoc non excluditur gratia, qua ipsa charitas formatur.

Integram solutionem nostram habet latè D. Thomas loco citato, eamque probat ratione, & Dionysij Authoritate. Ratione quidem, quia potentiæ accidentales, quales sunt ad operandum virtutes per se infusæ, fundantur in natura aliqua, in qua radicanter, ex quo habuit originem axioma illud Philosophicum: *Præius est esse, quam operari.* Unde, si divinitus separantur à natura, in qua radicanter, non potest manere subiectum cum ea denominatione, quam natura ea illi præstabat. Sic gravitas, quæ est potentia accidentaliter movens deorsum naturam, in qua radicanter, manet in Eucharistia, ubi substantia non manet. Quod autem se habeant ad eum modum virtutes respectu gratiæ, docet cum Dionysio in eo loco D. Thomas per hæc verba: *Sicut in rebus naturalibus est aliud natura ipsa, quam inclinatio nature, & ejus motus, vel operatio: ita & in gratuitis est aliud gratia à charitate, & à ceteris virtutibus*: & quod hæc comparatio sit rectè accepta, patet per Dionysium in 2. cap. Hierarchiæ. ubi dicit: *quod non potest aliquis habere spirituales operationes, nisi prius esse spirituale accipiat; sicut nec operationem aliquam natura, nisi prius habeat esse in natura illa.*

## DISPUTATIO II. DE OPPOSITIONE PHYSICA GRATIÆ CUM PECCATO.

32. Cum gratia sanctificans sit qualitas Physica, atque cum peccato opposita, sub hac consideratione oppositio gratiæ cum habituali peccato dicitur Physica. Cæterum, quia pecca-

tum habituale stat in peccato actuali præterito non dum destructo, remisso, aut condonato, proindeque non physice, sed moraliter perseverante. Ea de causa in hoc sensu oppositio gra-



tiæ cum peccato habituali ex parte habitua-  
lis peccati dici solet moralis. In præfenti au-  
tem, ut à quæstione de voce præscindamus;  
idem significat oppositio physica, ac oppositio,  
quam qualitas physica gratiæ ex natura sua ha-  
bet cum peccato tum actuali, tum habituali.  
Hæc autem oppositio non est effectiva, sed  
formalis, cum sit oppositio formarum, quæ à  
subiecto non quidem effectivè, sed formaliter  
se excludunt. Expellere quippe aliquid effec-  
tivè à subiecto perinde est, ac producere in sub-  
iecto aliquid cum eo incomponibile, aut de-  
struere aliquid, sine quo stare non potest. Cum  
autem gratia neque producat aliquid in sub-  
iecto incomponibile cum peccato, neque pecca-  
tum producat aliquid incomponibile cum gra-  
tia, aut effectivè destruat id, à quo dependet,  
exinde gratia non expellit effectivè peccatum;  
at, quia est forma, quæ informandò subiectum  
suum exigit, quòd Deus peccatum remittat, illi-  
usque perseverantiam moralem destruat, quòd  
constituit oppositionem formalem, idèò gratia  
non quidem effectivè, sed formaliter expellit  
peccatum.

## SECTIO I.

### Quenam sit oppositio inter peccatum, & gratiam?

33. **A**ssero 1. cum D. Thoma, Exim. Doctor.  
atque communi nostrorum, & Thomista-  
rum contra Nominales, & Scotistas, gratia  
sanctificans, & peccatum lethale non solum  
opponuntur ex lege Dei. Prob. 1. Gratia  
sanctificans ex Tridentino citat. num. 1. *Est  
forma in nobis recepta, atque unica formalis  
causa nostræ justificationis*: atqui, si solum op-  
poneretur ex lege Dei cum peccato, non esset  
causa formalis nostræ justificationis: causa e-  
nim formalis justificationis ex natura sua op-  
ponitur cum forma impediende justificationem,  
nulloque modo eam subiecto suo compensan-  
tem, sicut formæ omnes accidentales præstan-  
tes effectus ita incomponibiles ex natura sua  
opponuntur, ut patet in nigredine, albedine,  
aliisque omnibus ejusdem generis formis; ergo  
oppositio gratiæ cum peccato provenit ex  
natura ipsius gratiæ, & non ex sola lege Dei.

34. Prob. 2. conclusio. Si Sol non haberet vir-  
tutem illuminandi effectivè, licet Deus ex le-  
ge, seu pactò ad præsentiam solis illuminaret,  
non posset dici sol causa efficiens lucis;  
ergo, si gratia non haberet ex natura sua vir-  
tutem justificandi, & exigendi remissionem  
peccati, quamvis eà posità, promississet Deus  
peccatum remittere, & hominem justificare,  
dici non posset, quòd esset unica formalis cau-  
sa nostræ justificationis; ergo &c. Confirm.  
1. Philosophi, qui docuerunt, causas secun-  
das non habere virtutem agendi ex virtute sua,  
sed Deum ad illarum præsentiam agere, con-  
f. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

sequenter dixerunt, causas secundas non esse  
veras causas efficientes, sed puros terminos,  
aut condiciones tantum necessarias, ad quarum  
præsentiam Deus operabatur; ergo, si gratia  
ex natura sua non expelleret peccatum, sed  
solum ex lege Dei, dici gratia non posset uni-  
ca formalis causa justificationis, sed tantum  
conditio, aut purus terminus ad justificationem.  
Confirm. 2. ex Tridentino sess. 6. can. 11. di-  
cente: *Si quis dixerit &c. gratiam, qua justifi-  
camur, esse tantum favorem Dei extrinsecum,  
Anathema sit*: atqui, si gratia non esset forma  
ex natura sua sanctificativa, sed esset purus ter-  
minus, quoposito Deus sanctificaret, gratia,  
qua sanctificaremur, esset tantum favor Dei ex-  
trinsecus, cum puri termini requisiti ad sancti-  
tatem non sint virtus sanctificativa; ergo &c.

Assero 2. cum communi Theologorum con-  
tra Bachonium, Longham, & alios: gratia, &  
peccatum lethale pro nullo instanti reali coexi-  
stunt de facto in eodem subiecto. Prob. 1. Si  
pro aliquo instanti reali coexistere, maxi-  
mè pro illo, in quo gratia expellit, aut expelli-  
tur à peccato: sed pro illo instanti non coexi-  
stunt; ergo pro nullo. Maj. est fundamentum  
Adversariorum. min. verò prob. si in instanti,  
in quo gratia expellit peccatum, coexistere  
gratia, & peccatum, quando aliquis virtute B.  
prismi ex filio iniquitatis renascitur in filium  
Dei, maneret in illo peccatum, proindeque ma-  
neret aliquid, quod Deus odiò prosequeretur:  
sed hoc est contra Tridentinum sess. 5. in De-  
creto de peccato originali, ubi ait: *In renatis e-  
nim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis  
eis, qui verè confepulsi sunt cum Christo per Ba-  
ptisma in mortem*; ergo &c. Confirm. quia,  
si gratia, & peccatum in eodem instanti coe-  
xisterent de facto, posset homo de facto habere  
simul cum peccato veram charitatem: sed hoc  
est damnatum contra Bajum à Pio V. & Gre-  
gorio XIII. ergo &c.

Prob. 2. Ut gratia expellat formaliter pec-  
catum, non requiritur, quòd cum eo coexistat: 36.  
in eo namque distinguitur virtus formaliter ex-  
pulsiva à virtute expulsiva physice, quod,  
ut unum expellat physice effectivè alterum, re-  
quiritur, quòd effectivè producat aliquam qua-  
litatem, illamque recipiat subiectum, quod ex-  
pellendum est; cumque non possit subiectum  
physice agere, aut physice recipere, quin exi-  
stat; exinde id, quod physice effectivè expel-  
lit, & id, quod expellitur, debent coexistere:  
at, ut unum formaliter expellat alterum, so-  
lum requiritur, quòd Deus cesset à conservatio-  
ne unius ex exigentia alterius, quod quidem  
non requirit utriusque coexistentiam, sed in-  
componibilitatem unius cum altero; ergo &c.  
Confirm. 1. Si homo peccans in instanti A  
non amitteret in eo instanti gratiam, posset e-  
licere in instanti B veram contritionem, quæ  
cum gratia semper conjungitur, ac proinde re-  
tineret gratiam in instanti B; unde posset ho-  
mo de facto lethaliter peccare; quin gratiam  
amitteret.

M m m

amit-



'amitteret; sed hoc dici non potest; ergo &c. Confirm. 2. ex alijs absurdis, quæ ex Adversariorum sententia inferuntur. Primum quidem, substantia panis, & Corpus Christi existerent pro aliquo instanti reali sub speciebus Sacramentalibus, ut ex adventu Corporis expelleretur panis substantia. 2. Vita, & mors coëxisterent in eodem instanti, proindeque homo simul esset mortuus & vivus. 3. Sol utpote prior naturâ luce, pro aliquo instanti esset tenebrosus. 4. Humanitas Christi utpote natura prior unionem hypostaticam, habuisset pro aliquo instanti carentiam unionis hypostaticæ. 5. Pater æternus, utpote prior origine Filiò, habuisset aliquam carentiam Filij, & sic de millenis alijs, quàm maximis absurdis; ergo &c.

37. Affero 3. cum Exim. Doctore libro 1. de gratia, cap. 19. & 20. Bellarmino, Arriaga, alijsque plurimis, quos citat, & sequitur Oviedus Controversia 4. Puncto 3. num. 41. Gratia habitualis nos justificans opponitur tantum ex natura rei cum peccato; quare non repugnaret in alia providentia, quod de potentia absoluta cum peccato conjungeretur. Prob. 1. Tridentinum sess. 6. cap. 7. dicens: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur fides, spes, & charitas*: non minus distinguit tanquam beneficia distincta à gratia justificante fidem, spem, & charitatem, quàm distinguit actualem remissionem peccati: atqui ex eo quod distinguit ea beneficia, gratia non affert essentialiter, sed solum ex natura rei talia dona fidei, spei, & charitatis; ergo neque affert essentialiter, sed solum ex natura rei donum actualis remissionis peccati. Confirm. 1. ex Concilio Moguntino citato num 15. ubi ea ipsa beneficia, & dona expressè contradistinguit, quod etiam approbat Viennense citatum num. 4. ergo &c. Confirm. 2. Gratia non minus est natura in ordine superno, quàm sit sanctitas remissiva peccati: atqui non est natura essentialiter radicans ea dona, sed tantum ex natura rei illa exigens; ad eum modum, quo natura exigit ex natura rei suas physicas proprietates; ergo neque est essentialiter actualis remissio peccati, sed tantum in actu primo, sive natura exigens illam remissionem, quando peccatum præcederet in subiecto.

38. Probatur 2. Expulsio peccati juxta communem Theologorum proloquium est effectus secundarius gratiæ, cum gratia possit absque ea remissione reperiri, ut patet in Christo & Deipara, in quibus datur gratia, quin peccatum præcesserit, aut data fuerit talis remissio, & etiam patet in iusto recipiente gratiam, in quo ea gratia non remittit peccatum: atqui forma potest esse in subiecto divinitus absque suo effectu secundario; ergo potest esse absque remissione peccati, proindeque non erit essentialiter, sed tantum ex natura rei incomponibilis

cum peccato, Confirm. 1. Effectus primarius formæ communicatæ subiecto suo solum est informare tale subiectum: atqui, ut informet subiectum suum, satis est, quod uniatur subiecto capaci denominationum, quas forma ex natura sua potest ei subiecto tribuere, quamvis eas denominationes de facto non tribuat, si subiectum inveniat impeditum, ut patet in anima Christi, quam gratia habitualis non reddit Filiam Dei adoptivam ex eo, quod licet anima Christi sit capax, non tamen est expedita, sed impedita ad talem denominationem: etenim anima Christi vi unionis hypostaticæ non est natura Deo extranea, sed propria; ad rationem autem filij adoptivi requiritur, quod sit natura extranea in filium legitimè assumpta; ergo effectus primarius gratiæ sanctificantis nobis, communicatæ solum est nos informare, seu per unionem afficere tantam subiecta capacia justificationis, quin opus sit, ut effectum tribuat, si subiectum inveniat ad talem denominationem impeditum, proindeque in eo casu reperietur sine sanctificatione actuali, & sine actuali remissione peccati.

Confirmatur 2. & explicatur ulterius eadem ratio; perinde est, hominem esse justum, & esse bonum; qui enim est malus, non est bonus, & justus, utque habent Theologi cum Dionysio Cap. 4. de Divinis Nominibus. *Bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu*; exinde, qui habet unum peccatum mortale, non est justus, & bonus, neque dum perseverat in eo peccato, est subiectum expeditum, sed impeditum ad justam denominationem, quod etiam expressè docet Scriptura Jacobi 20. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Ex quo sic formatur argumentum. Quamvis homo ex se sit subiectum capax denominationis justæ, at, dum perseverat in peccato lethali, est subiectum ad justam denominationem impeditum, ad eum quippe modum, quo anima Christi, dum est unita hypostaticè Verbo Divino, est impedita ad denominationem Filie Dei adoptivæ: sed ex eo, quod anima Christi sit subiectum impeditum ad denominationem Filij Dei adoptivi, quamvis gratia, quæ est filialis adoptiva, uniatur animæ Christi, non reddit illam Filiam Dei adoptivam; ergo, si gratia uniretur homini perseveranti in peccato, quamvis ex se sit forma justificans, & remissiva peccati, non redderet hominem illum sanctum, neque remitteret illi peccatum, proindeque in tali homine gratia posset conjungi divinitus cum peccato; & certè, quando ex Conciliis, & rationibus adductis talia fundamenta habemus, standum potius est pro omnipotentia Dei, ut posset ex justis plurimis titulis, quos habet ea duo conjungere, quam pro sententia denegante Deo istam potentiam. Ex dictis

Fit 1. Denominationem, quam subiectum à for.



à forma recipit, haberi non solum ex forma unita subiecto, quamvis capaci, sed à forma unita subiecto capaci, & expedito. Quare juxta duplex formarum genus inferendum est, à qua forma subiectum acciperet denominationem, si duæ simul formæ illi unirentur. Primum quidem formarum genus est illud, quod continet formas, quarum una impedit alterius denominationem; proindeque subiectum affectu una accipit denominationem ab illa, & non accipit denominationem ab altera, quantumvis eidem subiecto divinitus uniatur; ut patet in unione hypostatica, & gratia habituali. Unio quidem hypostatica prævalet quoad vim denominandi filium proprium; ideoque gratia habitualis, quamvis sit filiatione adoptiva, non potest denominare Christum Filium Dei adoptivum, cum ratione unionis hypostaticæ non maneat subiectum expeditum ad talem denominationem, ut constat à num. 438.

Aliud est genus formarum oppositarum, quarum una non reddit subiectum impeditum, ne possit etiam accipere divinitus denominationem à forma opposita; sic summum gaudium, & summa tristitia fuerunt simul divinitus in anima Christi, eamque denominabant; gaudium quidem ex visione beatifica procedens, quam semper habuit anima Christi; summam etiam tristitia ex consideratione accerbæ mortis ut dicitur Matth. cap. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*; unde Agato Papa, pluresque PP. ex illa tristitia inferunt, fuisse in Christo duas voluntates, quod sanè argumentum nullum esset, si tristitia illa non fuisset in Christi voluntate, sed tantum existisset in parte sensitiva, de quo latè agit Exim. Doct. cum D. Thom. disp. 28. sect. 3. Quare summum gaudium non reddit subiectum inexpeditum, ne divinitus denominari possit tristis à summa tristitia, neque summa tristitia reddit inexpeditum subiectum, ne divinitus denominari possit gaudens à summo gaudio. Unde, cum ex his, quæ noscimus, debeamus discurre ad ea, quæ non noscimus, nulla nobis est regula generalis ad decernendum, an posita in eodem subiecto divinitus duplici forma opposita, denominetur ab utraque, vel solum ab altera, nisi cum hac prævia distinctione, nimirum, quod, si subiectum sit capax, & non reddatur à denominatione alterius, poterit divinitus ab utraque simul denominari; secus arem, si altera earum prævaleat, reddatque subiectum inexpeditum ad alterius formæ denominationem, quæ maximè notanda sunt, ne vera rejiciantur ut falsa, aut falsa quandoque admittantur ut vera.

## SECTIO II.

### Solvuntur Opposita.

42. Obijcies 1. contra primam conclusionem ex Scotistis. Illa forma, qua stante in R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

subiecto effectus non causatur, non est causa formalis ex natura rei, sed tantum ex lege divina; ideo namque albedo albificat physice ex natura rei, quia ipsa stante in subiecto aliquo, subiectum illud est necessario subiectum; atqui gratia stare potest in homine, quin sit justus, sanctus, filius Dei adoptivus, aut habens jus ad gloriam; ergo &c. Probat min. Deus existentibus omnibus creaturis tam creatis, quam creabilibus, tam naturalibus, quam supernaturalibus, est supremus Dominus vitæ, & mortis, & adoptivæ filiationis tam in re, quam in jure; ita, ut nulla creatura ex se valeat illud dare, nec habere seclusa divina voluntate neque ut *quo*, neque ut *quod*, nisi Deus velit actu, & expressè talem formam esse jus; sicut Christus voluit talem materiam v. g. panem esse materiam Sacramenti Eucharistiæ, & non aliam; ergo &c. Confirmatur. Gratia sanctificat, & constituit hominem filium Dei adoptivum favore extrinseco concurrente; ergo non sanctificat ex natura rei, sed ex lege Dei.

Resp. dist. maj. qua stante in subiecto capaci, & expedito, conc. incapaci, aut impedito, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad probationem dist. ant. est Dominus quatenus ex jure, & dominio suo potest conferre, aut non conferre ea dona, conc. quatenus ab ipso fieri possit, ut ea dona, si conferantur, non habeant essentiam, seu exigentiam suam, neg. ant. & conseq. Nam Deus non est Dominus chymæricus, sed verus; ac proinde potest producere, vel non producere formas pro libito suo: ac non potest facere, quod essentia formæ sanctificativæ non sit sanctificativa; sicut non potest facere, quod ignis non habeat exigentiam ad calorem, aut aqua ad frigiditatem: quare, si forma sit prævalens omnibus quibusque aliis oppositis, non poterit esse in subiecto capaci, quin denominationem conferat. Sic natura humana nequit uniri hypostaticè verbo, quin maneat sancta; at, si forma opposita sit prævalens, reddatque subiectum inexpeditum, poterit non suscipere denominationem ab altera forma contraria, ut diximus à num. 39. Ad confirmationem dist. ant. favore extrinseco, quem gratia non exigit, neg. quem physice exigit, conc. ant. & neg. consequentiam. Sic ignis potest esse sine calore, &c., quin constituat concretum calidum, ut contigit in Fornace Babylonico: at, quando calorem habet, non est supra, sed juxta ipsius exigentiam. Eodem quoque modo; si Deus posita gratiâ in subiecto nolle remittere peccatum, esset gratia sine actuali remissione peccati; at, quando datur remissio, non est supra, sed juxta exigentiam gratiæ; ideoque ille est favor; at est favor, quem exigit gratia.

Obijcies 2. contra secundam conclusionem. 43. vel peccatum expellitur, quando est, vel quando non est? si primum, atqui, quando expellitur

M m m 2

tur



tur à gratia, est gratia; ergo est peccatum simul cum gratia. Si secundum, atqui peccatum postea per plures annos non est; ergo per plures annos expellitur, quod manifeste est falsum; Confirm. 1. Nequit peccatum expelli à gratia, quin dentur terminus à quo, & terminus ad quem necessarij ad mutationem, quæ fit ex peccatore in justum: sed dari terminum à quo, & terminum ad quem, est dare gratiam simul & peccatum; ergo &c. Confirm. 2. Ideo expellitur gratia in instanti A, quia in instanti A committitur peccatum; ergo coexistunt simul in instanti A gratia, & peccatum. Confirmatur 3. Homo peccans privatur à Deo gratia in pœnam peccati; ergo prius est, quod introducat peccatum, quam quod expellatur gratia, ac proinde in instanti introductionis peccati coexistunt simul gratia, & peccatum in eodem instanti.

45. Resp. Peccatum expelli in primo solum instanti, in quo deficit, seu desinit esse; non verò in reliquis, in quibus non jam dicitur expelli, sed dicitur expulsum; unde probatio subsumpta nulla est. Quare etiam gratia introducit in primo instanti, in quo incipit esse in subiecto; in alijs verò instantibus dicitur jam introducta; sic in Eucharistia deficit substantia panis in primo instanti, in quo advenit Corpus Christi, in alijs verò non expellitur, sed dicitur jam expulsa. Ad primam confirmationem dist. maj. sumpto ly *datur* per statum respectu utriusque termini, neg. sumpto per statum respectu termini ad quem, qui est, & per alienationem respectu termini à quo, qui non est, sed est præteritus, conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Ad secundam confirmationem dist. ant. ideo expellitur formaliter, conc. effectivè, neg. ant. & conseq. ex dictis num. 36. Ad tertiam confirmationem dist. ant. in pœnam peccati, quam peccatum non exigit, nego; quam exigit per formalem incompossibilitatem ex natura sua cum gratia, conc. ant. & neg. conseq. quia exigere, quod alterum in eo instanti non sit, non est utrumque in eo instanti esse, ut ex terminis patet.

46. Objicies 3. contra tertiam conclusionem ex Tridentino citato num. 1. Gratia est unica formalis causa nostræ justificationis; atqui, si posset divinitus cum peccato conjungi, non quidè gratia, sed aggregatum ex gratia, & favore Dei extrinseco, esset unica formalis causa nostræ justificationis; ergo &c. Confirmatur 1. Si calor posset uniri subiecto capaci, quin denominaret calidum, non esset unica formalis causa calefaciendi; ergo, si gratia posset uniri subiecto capaci, quin denominaret justum, non esset unica formalis causa justificandi. Confirmatur 2. Ex eo, quod calor, & frigus possint divinitus uniri eidem subiecto capaci, infertur, calorem esse unicam formalem causam concreti calidi, non verò concreti non frigidi, sed moralem effectivam tantum concreti non frigidi, quatenus constituendò concretum cali-

dum exigit ex natura sua, ut Deus cesset à conservatione frigiditatis; ergo, si gratia justificans comunicata subiecto capaci, non denominaret illud justum, sed solum exigeret ex natura sua, quod Deus cessaret à conservatione peccati, ut subiectum illud esset justum, gratia non esset unica formalis causa nostræ justificationis, sed tantum moralis effectiva. Confirmatur 3. ex Granado: pars formæ equi, etiam si sit conjuncta cum parte altera ejusdem formæ, non dicitur causa adæquata formalis equi; ergo, si justificatio includit duplicem partem, videlicet infusionem gratiæ, & remissionem peccati, gratia infusa non erit unica formalis causa justificationis, licet ex natura sua exigat remissionem peccati.

Resp. conc. maj. & neg. min. quia carentia peccati non est vis justificativa; ut patet in pura natura, in qua esset carentia peccati, & non esset vis justificativa; hæc autem vis solum convenit gratiæ; carentia autem peccati se habet ex parte expeditionis subiecti; sicut dispositiones in ligno, ut comburatur ab igne, aut in materia prima, ut informetur formâ substantiali: unde, sicut vis combustiva tota convenit igni, & non dispositionibus, & vis substantialiter completiva non convenit dispositionibus, sed solum formæ substantiali; ita vis formaliter justificativa solum convenit gratiæ, & non carentiæ peccati, proindeque non carentia peccati, sed sola gratia est unica formalis causa nostræ justificationis. Ad 1. confirmationem dist. ant. si posset uniri subiecto capaci, & expedito, conc. & impedito, nego ant. & in eodem sensu conseq. quia, ut constet ex num. 39. gratia habet contrarium prævalens, scilicet peccatum, quantum ad eandem subiecto denominationem justum: unde, si gratia, & peccatum informarent idem subiectum, peccatum denominaret illud malum, & gratia denominaret bonum, & justum. Unde, si frigus prævaleat eodem modo respectu caloris, casu, quo frigus, & calor unirentur eidem subiecto, istud denominaretur frigidum, & non calidum; si autem neutrum prævaleat, ut contingit in summo gaudio, & summa tristitia ex dictis num. 41. nulla est paritatis ratio; sicut nulla prorsus erit ex istis formis ad simultaneam denominationem filij proprii, & filij adoptivi Dei.

Ad secundam confirmationem neg. antecel. quod enim calor non sit unica formalis causa concreti non frigidi, non desumitur ex eo, quod possit, vel non possit conjungi cum frigiditate, sed quia calor non est formalis carentia frigiditatis, à qua subiectum formaliter denominatur non frigidum. Video in his non solum plures Philosophos, verum etiam plures Theologos maximè, & ingenti equivocacione laborare, non distinguentes inter contradictionem formalia, & contradictoria argumenta; unde docent, quod, si gratia metaphysice opponatur cum peccato, erit formale contra-



dictorium peccati. At, quàm absurdè id doceant, non solum lumen naturæ, sed ipsa quoque summularum prima rudimenta facile ostendunt. Ratio est, quia contradictoria formalia non possunt simul esse, neque simul deficere, ut patet in pura natura: contradictoria quippe formalia non includunt duo extrema positiva, sed unum positivum, & alterum negativum, seu purum formaliter nihil, stantque præcisè in eo, quòd res formaliter detur, & formaliter non detur; atque hæc est ratio, quare nulla res possit habere duo contradictoria; nam, sicut una res non est duplex res; ita unam rem formaliter deficere, non est duas res formaliter deficere, proindeque, sicut carentia formalis rei non potest componi cum re; ita ipsa res componi non potest cum carentia formalis sui; atque adeò neque possunt simul esse, neque simul deficere.

49. Quæ ratio tanè non militat in contradictorijs argutivis, quæ quidem includunt duo extrema positiva; ideoque eadem res habere potest plura contradictoria argutiva; ratio est, quia, sicut plures res possunt connecti metaphysicè cum altera, v. g. decretum divinum producendi formam rationalem connectitur metaphysicè cum forma rationali; unio etiam ejusdem formæ cum materia: actio productiva, actus fidei, quo credo, eam formam existere, & sic de alijs, quo in casu ex positione cujusvis rei metaphysicè connexæ cum anima rationali arguitur positio animæ rationalis; ita pariter plures res possunt esse metaphysicè incomponibiles cum altera v. g. decretum Dei de non producenda anima rationali, actus fidei, quo Deo revelanti credo, talem animam non esse producendam, & sic de alijs, quo in casu ex positione cujusvis ex istis incomponibilibus metaphysicè cum anima rationali, legitime arguitur deficere animam rationalem, cumque ex pluribus possit id argui, exinde in hoc sensu sunt plura contradictoria argutiva. Cæterum, quia Deus, licet decernat eam animam non producere, potest illi non revelare, potest deficere actus fidei incomponibilis cum anima rationali, deficiente simul anima rationali, ideoque duo contradictoria argutiva possunt quàm optimè simul deficere.

50. Jam ad rem nostram. Calor non solum ex natura Dei, sed etiam metaphysicè incomponibilis in eodem subjecto cum frigiditate non esset formale non esse frigiditatis, quandoquidem & calor, & frigiditas sunt duo extrema positiva, & possunt simul deficere; unde calor nequit esse unica formalis causa concreti non frigidi, sed tantum argutiva; at forma sanctificans unita subjecto capaci, & expedito, est tota vis formalis iustificandi, ac proinde est unica formalis causa nostræ iustificationis. Ad tertiam confirmationem conc. ant. & neg. consequ. quia altera pars formæ equinæ est formalis virtus informativa, & substantialiter

completiva partialis materiæ primæ equi, quam prima alia pars formæ non informat; unde illa altera prima pars non est adequata forma equi. At pura remissio peccati non est virtus sanctificativa, ut constat ex num. 47. sed tantum est expeditio subjecti, quam exigit forma iustificativa ad denominandum subjectum suum iustum: pura quippe remissio peccati fieri potest per condonationem extrinsecam, ut infra constabit, atque in natura non elevata fieri posset à Deo absque sanctificatione; unde non est forma partialis sanctificativa.

Objicies 4. Patres ex Apostolo ad Ephesios 5. sæpè comparant gratiam vitæ, & lucis, peccatum verò mortis, & tenebris; atqui vita, & mors, lux, & tenebræ sunt essentialiter incomponibilia; ergo etiam gratia, & peccatum sunt essentialiter incomponibilia. Confirm. 1. 1. Joannis 3. dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ejus in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*: sed hæc verba significant, non posse divinitus gratiam cum peccato coniungi; ergo &c. Confirm. 2. Deus necessariò amat amicabilem hominem existentem in gratia, & odit inimicabiliter existentem in peccato: sed implicat, hominem amicabilem amari, & inimicabiliter odio haberi à Deo; ergo &c. Confirm. 3. Aliquis effectus primarius, sine quo adhuc de potentia absoluta forma iustificans esse non potest communicata subjecto, assignari debet formæ iustificanti, non minus, quàm reliquis formis: sed nullus alius est assignabilis, nisi effectus reddendi iustum, & consequenter excludendi peccatum; ergo &c. Confirm. 4. Quando duo concreta essentialiter opponuntur, etiam opponuntur abstracta, quæ sunt unica formalis illorum causa; atqui iustum, & iniustum sunt duo concreta essentialiter opposita, quorum abstracta constitutiva unice, & formaliter iusti, & iniusti, sunt gratia, & peccatum; ergo gratia, & peccatum sunt essentialiter opposita.

Resp. dist. maj. comparant in ordine ad omnia, neg. in ordine ad aliqua, conc. maj. & permilla min. quoad contradictionem formalem inter vitam, & mortem, neg. consequ. Etenim, cum tenebrarum nomine nihil aliud intelligamus, quàm formale non esse lucis, seu lucem formaliter non esse, certè sunt contradictoria, & nequeunt simul esse, aut simul deficere, proindeque, cum, antequam produceretur lux, non esset lux, erant tenebræ, juxta illud Genesis 1. *Et tenebræ erant supra faciem abyssi*, id est, non erat lux, ut Augustinus exponit, at, antequam produceretur vita, non erat mors, ideoque deficiebant simul mors, & vita; unde non tam opponuntur mors, & vita, quàm lux, & tenebræ; quare solum dicuntur opponi in subjecto jam capaci, & producto; & jam etiam pridem viventis, in quo non possunt simul esse, aut simul deficere. At, ut gra-



ria, & peccatum essent formaliter contradictoria respectu subjecti producti, & capaci, si-  
cut vita, & mors, lux, & tenebrae, opus erat,  
ut non possent in eo subjecto simul esse, aut  
simul deficere; ut constar à num. 48. Cum  
autem in pura natura possent in subjecto capa-  
ci simul deficere gratia, & peccatum, in quo  
simul deficere non poterant vita, & mors, lux,  
& tenebrae, exinde manifestè apparet, gra-  
tiam, & peccatum non esse formaliter contra-  
dictoria eo modo, quo sunt formaliter contra-  
dictoria vita, & mors, lux, & tenebrae.  
Quare comparatio Scripturae, & Patrum, quae,  
quia comparatio est, non potest ferre conven-  
ientiam in omnibus, sed in aliquibus ex di-  
ctis num. 19. & sumi non potest in ordine ad  
contradictionem formalem, sed in ordine ad  
contradictionem aliquam arguitivam.

53. Comparatio autem hæc in eo habet conven-  
ientiam, quòd, sicut homo non potest vive-  
re, quin excludat mortem, nec lux potest il-  
luminare, quin excludat tenebras; ita gratia  
non potest justificare, quin homo Deo vivat,  
& quin excludat maculam peccati: atque ista  
est ratio, cur Scriptura, & Patres non faciant  
hanc comparisonem in gratia præcisè sum-  
pta, sed in gratia accepta in hac providentia,  
sive in actu secundo justificandi; sic Paulus 1.  
ad Corinth. 6. *Hæc quidem fuistis, sed ablui  
estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.*  
Proindeque loquuntur de gratia communicata  
subjecto capaci, & expedito: & ad Ephes. 5.  
*Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in  
Domino:* ubi nomine lucis in Domino, non  
significatur gratia præcisè sumpta, sed gratia  
reddens hominem justum, cum homo iustifi-  
catus non sit gratia justificans, sed justus, ade-  
oque non est illa lux, sed lux in Domino, si-  
ve iustus; ad eum quippe modum, quo homo  
dealbatus non est albedo, sed est albus. Quare  
dictum beneficium est, quòd homo sit justus,  
à beneficio dandi illi præcisè gratiam iusti-  
ficantem, ut ex Concilijs deduximus num. 51.  
proindeque gratia fert essentialiter secum ju-  
stificationem in actu secundo, neque est ut for-  
male contradictorium opposita peccato, ne-  
que ut contradictorium arguitivum, nisi in or-  
dine ad arguendum incomponibilitatem cum  
peccato ex natura rei, secus metaphysicè.

54. Ad primam confirmationem conc. maj. &  
neg. min. quia ea Joannis verba non intelli-  
guntur de gratia præcisè sumpta, sed accepta  
in hac providentia, in qua nunquam commu-  
nicatur nisi subjecto capaci & expedito, atque  
adeo nunquam est in homine, quin verè sit fili-  
us Dei, quod satis innuit ipse textus per ea ver-  
ba: *omnis qui natus est ex Deo* ideoque ea ver-  
ba non potest peccare exponuntur à Ripalda ita,  
ut sensus sit, non potest peccare ut filius Dei,  
sed ut amittens sanctificationem, & renascen-  
tiam ex Deo. Alij verò cum Augustino ex-  
plicant *ly non potest*, id est, non debet, non  
congruit filio Dei. Alij sic. Non potest, nisi æ-

grè, & difficulter peccare filius Dei. Quare  
Adversarij velint, nolint, ea verba exponere te-  
nentur, cum certum sit, hominem peccare pos-  
se, & gratiam amittere, & quidem nulla a-  
prior est expositio, quam nostra; quandoqui-  
dem homo in sensu composito justificationis  
nullum potest committere lethale peccatum.  
Ad secundam confirmationem dist. maj. homi-  
nem existentem in gratia capacem, & expedi-  
tum ad denominationem justi conc. in expedi-  
tum, neg. maj. & concessa min. neg. conseq.  
Ad tertiam confirmationem conc. maj. & neg.  
min. quia effectus primarius formæ commu-  
nicatæ subjecto nullus alius est, nisi informa-  
re subjectum capax exigens illud denominare,  
proindeque exigens, quòd sit expeditum ad al-  
ios formales effectus, ut diximus num. 38. Si  
enim divinitus uniretur termino suarum deno-  
minationum incapaci, ut albedo Angelo, tunc  
non diceretur informare illud iuxta commu-  
nem Philosophorum, & Theologorum locu-  
tionem, cum non exigeret communicare illi  
suos effectus, sed præcisè diceretur uniri illi  
ut puro extremo, non autem ut subjecto. Ad  
quartam confirmationem dist. maj. opponun-  
tur abstracta, si essentialiter exigunt disposi-  
tiones ad denominandum, conc. si exigunt tan-  
tùm ex natura rei, neg. maj. & dist. min. neg.  
conseq. sic filius naturalis, & adoptivus sunt  
concreta opposita, & tamen filiatio adoptiva  
cum non exigar essentialiter dispositiones ad  
denominandum subjectum suum filium ado-  
ptivum, non opponitur essentialiter cum fili-  
atione naturali; ut patet in Christo Domino.  
Ex dictis

Fit 1. Habitus virtutis charitatis utpote  
in hac providentia comitante semper gratiam  
justificantem, atque sine illa nunquam manen-  
tem, non posse in hac providentia salva li-  
bertate physicè influere ut principium per se  
in actum sub gravi pro instanti determinato  
præceptum, ut latè diximus à num. 292. de  
actib. hum. Ratio est, quia principium per se  
influens in actum, ne lædat libertatem, debet  
esse componibile cum utroque libertatis extre-  
mo, ut constar à num. 254. & 461. de aux.  
atque habitus charitatis non potest in hac pro-  
videntia componi cum actu præcepto, & cum  
omissione graviter peccaminola. Quapropter  
in eo casu suppleri debet influxus habitus ab  
omnipotentia extrinsecè applicata, quod idem  
est de aliis habitibus, qui in hac providentia  
comitantur semper gratiam, de quibus dixi-  
mus num. 59. de aux. Si autem Deus, uti  
de potentia absoluta potest, veller conservare  
habitus charitatis in sensu composito pecca-  
ti, tunc jam posset influere in actum illum  
præceptum tanquam principium per se, quan-  
doquidem esset componibile cum utroque li-  
bertatis extremo.

Fit 2. Compositionem gratiæ cum pecca-  
to lethali, casu, quo de potentia absoluta he-  
reret, non fore indecentem ex parte Dei. Ra-  
tio est



rio est, quia, ut bene notavit Eximius Doctor. lib. 7. de grat. Cap. 20. Arriaga disp. 46. sectione 4. subsect. 2. Ovidius, Aldrete, pluresque alij, Deus nequaquam exinde esset causa specialis conservativa peccati. Nam causa specialis conservativa peccati est illa, quæ peccatum commisit, aut contraxit, & non apposuit id, quod ad destructionem peccati actuale destinatum est, uti est in hac providentia pro peccato originali Baptismus, & pro peccato commisso actus perfectæ charitatis, aut contritionis extra Sacramentum, vel saltem attritionis cum Sacramento Baptismi in non Baptizato, & cum Sacramento penitentiae in Baptizato; ille verò, qui ex justo aliquo titulo excusatur, ne destruat, aut remittat peccatum ab altero commissum, quamvis, si noller uti jure suo, possit illud remittere, nequaquam est causa illius peccati conservativa; dum enim eo jure suo utitur, ejus actio se habet per accidens respectu conservationis peccati commissi ab altero, ut diximus à num. 162. de actib. human. proindeque non ab ipso, sed ab altero moraliter conservatur. Sic Confessorius, qui ex justo titulo excusatur ab audienda confessione peccatoris, nequit dici causa moralis conservativa eorum peccatorum, quæ remittere poterat. Unde multò magis Deus, qui ob plures titulos gloriæ suæ, justitiæ, sui supremi dominii, ostensionis suæ omnipotentiae,

aliorumque infinitorum, non tenetur se accommodare exigentiæ gratiæ, proindeque non erit causa conservativa peccati.

Quapropter non est idem, posse aliquid destruere, illudque non destruere ex titulo justo ad non destruendum; & esse causam illius conservativam: hæc enim duo valde diversa esse, evidens sit tum in physicis, tum in moralibus; in physicis quidem, licet Petrus succidere possit arborem, quam Paulus in agro suo plantaram habet. Imò, licet Pontifex, Imperator, aut Rex possit illam evellere, at, quia ex titulo juris sui excusati sunt, certè dici non possunt causa ejus arboris conservativa. Pariter, licet Sacerdos, si revelaret homicidam, causa esset, ut suspenderetur, at, quia ex jure suo excusatur, ne illum prodar, aut testimonium in judicio contra ipsum ferat, dici exinde non potest, quòd sit causa moralis conservativa homicidæ, & malefactoris; quare, cum Deus ex aliori, nobiliorique jure excusatus sit, ne annuat causarum secundarum exigentiæ, multò minùs dici posset causa moralis conservativa effectuum, quorum destructionem exigebant causæ secundæ. Unde, ut aliquis sit causa moralis conservativa effectus, satis est, quòd possit, si velit illud destruere, sed ulterius requiritur, quòd nullum habeat justum titulum, quo à tali destructione excusetur.

57.

## DISPUTATIO III.

### DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM PRÆVIIS.

38. Communissima Theologorum sententia est, posse Deum de potentia absoluta, sive per extrinsecam condonationem, sive per gratiæ infusionem peccatum commissum remittere absque retractatione peccatoris, aut quavis alia prævia dispositione; sicut potest homo remittere offensam contra ipsum commissam absque offendentis retractatione, & sicut de facto in hac providentia peccatum originale remittitur parvulis per infusionem gratiæ absque ulla prævia dispositione parvulorum; quin potius plures cum Exim. Doct. censent, non requiri ex natura rei dispositionem ullam præviā, ut gratia infundatur, cum sit qualitas accidentalis, & quidem aliarum radix ex natura sua in ordine superno, proindeque non esset contra ipsius naturam, ut ipsa in anima foret prima inter omnes qualitates supernas. Remissio autem peccati dicitur retractatio peccatoris æquivalenter, quandoquidem ad effectum remittendi peccatum amplissimè præstat, quidquid actus retractationis à peccatore elicitus præstare posset, ideoque non maneret peccatum voluntarium; nam, ut maneret voluntarium, requirebatur, quòd fuerit volitum, & non fuerit retractatum retractatione ulla ex

se efficaci, aut formali, aut æquivalenti, quæ est ratio, propter quam in parvulis Baptizatis non manet jam voluntarium peccatum originale; sic vori dispensatio, aut relaxatio est æquivalens retractatio subditi; ideoque votum à Superiori dispensatum, aut relaxatum non manet jam subdito moraliter voluntarium; atque in hoc sensu exponitur D. Thomas 3. p. q. 86. art. 2. dicens: *Imperceptibile est, peccatum remitti sine pena*, id est, formali, aut æquivalenti, nihilominus ex lege Dei plures dispositiones requiruntur ex parte intellectus, & voluntatis ex parte peccatoris ad remissionem peccati commissi in hac præsentii providentia, pro quarum explicatione sit

## SECTIO I.

*Quenam prærequirantur dispositiones in hac providentia ad remissionem peccati commissi?*

Suppono 1. Certum esse, nullam requiri dispositionem in hac providentia in parvulis ad remissionem peccati originalis. Ratio est, quia

59.



quia, ut constat ex Tridentino citato num. 35. in parvulis baptizatis, qui nullum omnino possunt actum liberum exercere, aut se ulla modo ad remissionem peccati disponere, nihil manet, quod Deus in eis odio habeat; unde absque ulla ipsorum dispositione remittit Deus illis peccatum. Suppono 2. In adultis ad remissionem peccati requiri in hac providentia aliquam dispositionem consistentem in aliquo motu liberi arbitrij; si enim adultus non baptizatus solum habeat peccatum originale, licet non teneatur elicere actum charitatis, debet elicere actum fidei, ut gratiam per Baptismum suscipiat, eique remittatur peccatum, ex illo Pauli ad Hebræos 11. *Sine fide enim impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirere se, remunerator sit; & Joannis 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus. Quare Trid. sess. 6. cap. 7. de Baptismo ait: quod est Sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit justificatio. Ex parte etiam voluntatis requiritur in eo voluntas suscipiendi Baptismum habitualiter saltem perseverans, cum requiratur, quod Baptismus non sit ipsi coactus, sed voluntarius, ut dixi agendo de Baptismo: Si autem adultus habeat etiam peccatum commissum, debet elicere contritionem perfectam, aut imperfectam, & alias dispositiones, de quibus statim agemus.*

60. Suppono 3. Dispositiones ad justificationem peccatoris adulti requisitas tum proximas, tum remotas, debere esse supernaturales. Ratio est, quia illae sunt dispositiones supernaturales, quae elici non possunt sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio; atqui dispositiones requisitae in peccatore adulto, ut ei justificationis gratia conferatur, elici non possunt sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, ut definit Trid. sess. 6. can. 3. dicens: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Vide, quae late diximus agentes de auxiliis tota disp. 2. Ceterum, quia tales dispositiones sunt actus vitales, qui vocantur qualitates transeuntes contradistinctim ab habitibus, qui sunt qualitates mortuae, & permanentes; exinde juxta Trid. dispositiones ad gratiae infusionem in peccatore praequisitae non sunt permanentes, sed transeuntes; unde nulla tenet pericula a formis naturalibus, ad quas praecedunt dispositiones permanentes, quas cum ex constanti experientia tales agnoscamus, inferimus, hoc se habere ex earum formarum exigentia; at dispositiones ad justificationem requisitae non possunt ex experientia cognosci, sed ex doctrina Scripturae, Conciliorum; & Patrum, ex qua non agnoscimus permanentes, sed transeuntes, ut ex

Tridentino adducto constat, & latius infra constabit.

Sic etiam loquitur Scriptura, ex qua doctrinam hanc Concilia, & Patres delumunt; etenim 1. Regum 7. dicitur, *Preparate corda vestra Domino.* Proverbiorum 16. *Homini est animam preparare.* Ecclesiastici 20. *Qui timeant Dominum, preparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Ezech. 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis, quae operatus est, vita vivet, & non morietur.* Exinde Innocentius III. Cap. majores de Baptismo, *Actuale, quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.* Et Augustinus Sermone 15. de verbis Apostoli: *Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te; ergo fecit nescientem, justificat volentem.* Ex quibus omnibus constat, requiri dispositiones tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis.

De his quippe agit Tridentinum sess. 6. cuius titulus modus preparationis, ubi haec habet: *Disponuntur autem ad ipsam justificationem excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes, vera esse, quae divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per Redemptionem, quae est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes a divina justificatione, quo niliter concutuntur ad confutandam Dei misericordiam se convertendo in se invicem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illum, tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet; demum, dum proponunt, suscipere Baptismum inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* De hac dispositione scriptum est: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & qui digne inquirere se, remunerator sit &c.* Ceterum, quia aliquid necessarium esse potest vel necessitate medij, ita, ut eo etiam inculpabiliter omisso non detur justificatio, vel solum necessitate praeccepti, ita, ut si etiam culpabiliter omittatur, non exinde deficiat justificatio, quaerimus nunc, quomodo istae dispositiones ad justificationem actualis peccatoris adulti requirantur.

Assero 1. cum omnibus fere Theologis. Actus fidei divinae requiritur necessitate medij ex parte intellectus ad justificationem peccatoris adulti, sive fidelis, sive infidelis. Probat. 1. Illud est necessarium necessitate medij ad justificationem, sine quo impossibile est justificationem obtinere; atqui sine actu fidei divinae impossibile est in hac providentia justificationem peccatoris adulti obtineri, ut constat ex testimoniis adductis num. 108. quin in illis ulla distinctio fiat inter peccatorem fidelem, & infidelem; ibi enim dicitur, *oportere credere, & sine fide impossibile esse placere Deo;* per se.



potestatem datam esse iis, qui credunt: credere autem non est habitus, sed actus fidei; ergo &c. Confirmatur. Baptismus in re, vel in voto necessarius est necessitate medii ad justificationem, ut omnes Theologi ex Scriptura, Conciliis, & Patribus docent, & diximus agentes de Baptismo; atqui eo modo requiritur fides in re, ac requiratur Baptismus in re, vel in voto; ergo &c. Probat. min. ex illo Christi Marci ultimo; *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*; ubi Div. Bernard. diligenter observat, Christum Dominum, etsi in prima parte hujus textus locutus fuerit de Baptismo, & fide, at in secunda textus parte non dixisse, *qui vero non crediderit, & non baptizatus fuerit, condemnabitur*, sed dixisse tantum, *qui vero non crediderit, condemnabitur*, ut denotaret, posse aliquem adultum justificationem obtinere sine Baptismo in re, videlicet per actum perfectae charitatis, vel contritionis, aut per Martyrium, non autem sine fide in re; ergo &c.

64. Probat. 2. Indubitabile prorsus apparet ex testimoniis adductis num. 19. requiri necessitate medii aliquem actum fidei ad justificationem adulti, sive fidelis, sive infidelis: sed non sufficit actus fidei laeae; ergo requiritur actus fidei strictae. Probat. min. ex Innocentio XI. inter sexaginta quinque propositiones damnante vigesimam tertiam, quae sic habebat: *Fides laeae dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit*; ergo &c. Confirmatur 1. Ad justificationem adulti requiritur in hac providentia aliquis supernaturalis motus voluntatis, ut constet ex Tridentino adducto num. 62. proinde, cum voluntas non possit supernaturalem actum elicere, quin ab intellectu proportionate illuminetur, ut diximus num. 4. & 304. de auxiliis, necesse est, ut ad eum motum liberum voluntatis praecedat supernaturalis actus intellectus; nihil enim volitum, quin praecognitum; atqui supernaturalis actus intellectus illuminans in hac providentia voluntatem ad justificationem adulti est actus fidei, ut constet ex num. sup. ergo &c. Confirmatur 2. Quando aliquis actus designatus est à Deo ad aliquod munus, non possumus admittere alium hujus loci sufficientem, praesertim, si non sit ad minus tam perfectus, ac alter, pro quo substituit; sic attritio extra Sacramentum substitui non potest pro perfecta contritione tanquam ultima dispositio ad justificationem; bene verò amor perfectae charitatis, qui, licet non sit formalis contritio, est formalis super omnia dilectio, proindeque non minus perfectus, ac ipsa contritio, atqui in viatore nullus datur actus intellectus aequè perfectus, ac actus divinae fidei; ergo &c.

65. Quamobrem Cardinalis de Lugo disp. 13. de fide sect. 2. num. 44. opportunè notat, aliquos stultos scrupulis angì, quia, ut ajunt, R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

immemores sunt, an habuerint actum fidei ante confessionem, non enim oportet de hoc esse sollicitos; nam si cogitarunt de praemittendo dolore, judicare debent, se actum fidei elicuisse, quandoquidem *Deus facienti, quod est ex se, non denegat gratiam*, ut diximus à num. 103. de aux. & de facto motivum ad eliciendos istos doloris actus, prout ad justificationem oportet, ex lege Dei non proponitur, nisi per actum fidei divinae; unde, licet non habuerint reflexionem supra actum fidei, jam in propositione utili talis motivi actum fidei elicuerunt, aut considerandò Deum punitorem peccati, vel boni operis remuneratorem, aut quovis alio modo ad talem actum fidei elicendum sufficiente. Videatur Cardenas tomo posthumo supra propositiones ab Innocentio XI. damnatas rota dissertatione 16. Quare nullus Catholicus, qui fecit, quantum est ex se ad concipiendum dolorem sufficientem ad Sacramentum, potest prudenter dubitare, quòd elicuerit actum fidei; ideoque prudenter supponit eum elicuisse, nec teneretur rem hanc de novo examinare, si aliquando talem actum fidei invincibiliter non elicuerit, quando postea accedit rite dispositus ad aliud Sacramentum poenitentiae, ea priora peccata, quae modò non confitentur, remittuntur etiam indirectè, & poenitens manet justificatus coram Deo: de perseverantia autem virtuali horum actuum necessaria ad Sacramentum poenitentiae dixi jam agendò de Sacramentis.

66. Affero 2. Ex parte voluntatis ad justificationem actualis peccatoris adulti requiritur necessitate medii cum Sacramento vel perfecta contritio, vel attritio generalis superna cum spe veniae. Probat. ex Tridentino sess. 14. Cap. 4. ubi de contritione necessitate Sacramenti, sive necessitate medii ad justificationem fidelis adulti requisita ait: *Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor, ac desectatio de peccato commissum proposito non peccandi de cetero, fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*; ex eo enim, quòd actus contritionis à perfecta, & imperfecta praescindens fuerit omni tempore necessarius, absque dubio est necessarius etiam ad justificationem actualis peccatoris infidelis: rursus idem Concilium hanc contritionem in sua membra dividendò docet, aliam esse perfectam, sive ex motivo charitatis procedentem, quae non solum deservit ad conferendam gratiam cum Sacramento, sed etiam extra Sacramentum; aliam verò esse imperfectam, quae attritio dicitur, & concipitur ex motivo à charitate distincto, atque regulariter ex turpitudine peccati, vel ex timore poenae, quae cum spe veniae sufficit ad justificationem cum Sacramento, ut de his late disserui toto serè Tractatu de virtute poenitentiae; atqui haec stare non possunt, ut ex ipsis terminis patet, quin ex parte voluntatis ad justificationem actua-

N n n

lem



lis peccatoris adulti cum Sacramento requiratur necessitate medij, vel perfecta contritio, vel attritio generalis superna cum spe veniæ; ergo &c. Ex dictis

67. Fit 1. Actum fidei ad justificationem actualis peccatoris adulti ex parte intellectus requisitam non solum debere continere assensum explicitum de Deo ut uno, sed etiam de Deo ut remuneratore. Utrumque enim complectitur Apostolus citatus num. 59. Ideoque Innocentius XI. inter sexaginta quinque propositiones damnavit vigesimam secundam, quæ sic habebat: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita remuneratoris.* Quare, licet actus fidei supernaturalis circa unum objectum, cum credat, quia Deus revelavit, sit incomponibilis cum dissensu alterius objecti à Deo revelati, ideoque sit virtualis assensus omnium, quæ à Deo revelata sunt, non satis est talis virtualis assensus circa omnia objecta; aliter credere Deum esse unum, quia ipse revelavit, cum sit virtualiter credere, Deum esse remuneratorem, quandoquidem id Deus revelavit, sufficeret ad justificationem, quod jam damnatum est. Unde aliqua credenda sunt non solum virtualiter, & implicite, sed etiam formaliter, & explicitè; certum autem est, necessarium esse saltem necessitate præcepti aliqua alia explicitè credere. Tenentur enim fideles addicere, & credere Symbolum fidei; aliaque plura, in quibus continetur obligatio credendi. Tenentur etiam præsertim credere duo præcipua nostræ fidei mysteria, videlicet Trinitatem, & Incarnationem. Atque circa ista frequenter etiam elicere actus fidei, ut melior pars Theologorum docet.

68. Id autem neutriquam esse onerosum, sed facilitum potius, & frequentissimum facile apparebit unicuique fidelium: si aliquantulum supra actiones suas reflectat, sicque reperiet se frequenter elicere actus fidei de his duobus mysterijs; fidelis enim frequenter adest Missæ Sacrificio, in quo, cum hostiam consecratam adorat, credit in hostia consecrata esse realiter præsentem Christum Dominum Deum pariter, & hominem; frequenter videt tum in templis, tum extra templa imaginem Crucifixi, & tunc credit Christum Dominum in sua humanitate passum, & crucifixum pro nobis. Frequenter recitat symbolum, in quo continetur utrumque mysterium; se frequenter signat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, atque tunc credit Trinitatis mysterium, quod etiam contingit alijs quàm plurimis occasionibus, quibus redundat vita Christiana.

69. Major autem est difficultas, an ad justificationem peccatoris adulti requiratur necessitate medij fides explicita de his duobus mysterijs. Valde discordes sunt in hoc puncto Theologorum sententiæ. Prima docet, fidem explicitam Sanctissimæ Trinitatis, necessitate medij ad justificationem adulti. Ita & Incarnationis post promulgationem Evangelij esse ne-

cessariam necessitate medij ad justificationem adulti. Ita D. Thomas in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 1. ad 2. Durandus ibid. quæst. 1. num. 9. Gabriel ibid. art. 2. conclus. 3. S. Bonaventura ibid. art. 2. quæst. 3. P. Molina 1. p. quæst. 1. art. 1. disp. 2. P. Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 2. Puncto 3. P. Thomas Sanchez lib. 2. Summæ cap. 2. num. 8. P. Granado Controversia 1. de Fide Tract. 10. disp. 2. sect. 2. num. 13. pluresque alij. Secunda sententia docet, fidem explicitam Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis etiam post promulgationem Evangelij non esse simpliciter necessariam necessitate medij ad justificationem & salutem æternam. Ita Socus in 4. dist. 5. quæst. 2. art. 2. & libro de Natura, & Gratia cap. 11. Vega lib. 3. In Tridentinum cap. 16. & 20. Medina lib. 4. De Recta in Deum fide cap. 10. Corduba in quæstionario lib. 2. quæst. 5. Azor lib. 8. cap. 6. quæst. 6. P. Sa verbo Fides. P. Castropalao tom. 1. tractatu 4. disp. 1. Puncto 9. num. 7. P. Calpar Hurtado disp. 3. de Fide difficultate 7. & plures alij.

Tertia sententia docet, ejusmodi fidem explicitam necessariam esse necessitate medij non quidem ad justificationem, sed ad glorificationem. ita Canus Relectione de Sacramentis in genere parte 2. Ledesma in 4. quæst. 9. art. 2. Castro Ribro 2. de Lege poenali cap. 14. Banner 2. 2. quæst. 2. art. 8. Dubio ultimo, & alij non pauci. Quarta sententia docet, fidem explicitam horum mysteriorum esse per se necessariam necessitate medij ad justificationem & salutem æternam. Per accidens autem ratione ignorantia invincibilis sufficere fidem explicitam eorum in voto: itaque, sicut Baptismus est necessarius necessitate medij in re, vel in voto, ita fidem explicitam eorum mysteriorum esse necessariam in re, vel in voto. Ita Exim. Doct. disp. 12. De Fide sect. 4. num. 11. Cardin. de Lugo disp. 12. De Fide sect. 4. à num. 88. Leander à SS. Sacramento parte 6. Tractatu 2. disp. 2. quæst. 8. & alij.

Ex his quatuor sententijs censeo, primam esse probabiliorē, quæ requirit ad justificationem adulti necessitate medij fidem explicitam non solum in voto, sed etiam in re horum mysteriorum. Ratio est; quia, ut ex Christi Domini verbis cum D. Bernardo diximus num. 63. eo modo requiritur fides in re, ac Baptismus saltem in voto: sed Baptismus saltem in voto est necessarius necessitate medij ad justificationem adulti; ergo & fides in re; hæc autem fides, quod debeat esse de Christo Domino secunda Trinitatis Personæ, ac proinde quod debeat se explicitè extendere ad mysterium Trinitatis, & Incarnationis, satis videtur colligi ex cap. 1. Joannis, ubi docens, quibus Christus dederit potestatem, ut obtineant justificationem, sive, ut, filij Dei sint (ait) dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus: Quamobrem, cum defici-



deficiente aliquo necessitate medij requisito ad justificationem, justificatio obtineri non possit, qui ad Sacramentum poenitentiae accederet absque noticia horum mysteriorum, non posset absolvi, antequam ea addisceret; neque in rebus pertinentibus ad salutem medij proficit sententia contrarii, nisi solum probabilis, verum neque probabilis. Unde Innocentius XI. inter sexaginta quinque propositiones damnavit sexagesimam quartam, quae sic habebat: [ Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU Christi: ] Vide à num. 364. De Sacramento Poenitentiae, ubi dixi, quomodo in casu extremae necessitatis possit dari absolutio sub conditione illi, qui hac mysteria ignoraret.

72. Fit 2. Actum contritionis perfectae, & dilectionis Dei super omnia ex parte voluntatis vel nunquam elici in hac providentia, quin ex lege Dei in voluntate praecedat aliquis timor, & spes, ut inferri satis apparet ex Tridentino adducto num. 62. & ex illo Ecclesiast. 1. *Qui sine timore est, non poterit justificari*, & Proverbior. 14. *Timor Domini fons vitae*, vel saltem continere virtualiter, & aequivalenter timorem, & spem; quod idem dicendum est de attritione cum spe veniae respectivè ad timorem, qui vel eam praecedit, aut in ea virtualiter, & aequivalenter includitur. Unde nunquam contingit justificatio, quin concurrant timor, & spes, saltem virtualiter. Sic Augustin. de catechizandis rudibus Cap. 5. *Rarissime accidit, imò fere nunquam, ut quisque veniat volens esse Christianus, qui non sit aliquo modo timore Dei percussus*, id est, timore formali, aut virtuali. Quin imò Theologorum communis sententia regulariter censet, saltem eos omnes actus timoris, spei, & contritionis formaliter concurrere, quandoquidem peccatores timore magis malorum, quam puro charitatis amore moventur; atque adeo timore percussi propter spem veniae coneruntur; unde Augustin. de catechizandis rudibus Cap. 4. docet: *Accedentem ad Baptismum ita esse catechizandum, ut audiendò credat, credendò speret, sperandò amet*. Et Serm. 22. de verbis Apostoli: *a fide domus Dei credendò fundatur, sperandò errigitur, diligendò perficitur*.

73. Fit 3. Concurrere etiam ex parte voluntatis piam affectionem necessitate medij in hac providentia requisitam; ratio est, quia actus fidei elici nequit, si non adsit pia voluntatis affectio assensum fidei imperans, ut constans est apud Theologos, & dicemus in Tractatu de fide. Quare eo ipso, quod actus fidei sit necessarius ex parte intellectus, est etiam necessarium ex parte voluntatis id, sine quo non dabitur in intellectu actus fidei: cumque iste non detur absque pia affectione voluntatis, exinde pia haec affectio ex parte voluntatis

tis necessaria est in hac providentia ad justificationem adulti. Quamobrem, cum adultus teneatur plura alia credere necessitate praeccepti, videlicet descensum Christi ad inferos, & alia similia, quae exponuntur in Symbolo, & quae Ecclesia ab omnibus credenda praecipit; exinde plures actus piae affectionis sunt necessarii necessitate praeccepti ex parte voluntatis.

Objicies 1. contra primam assertionem. Si ad justificationem adulti requireretur fides stricta necessitate medij, adesset in re adeo gravissima praxis Ecclesiae, eam indicans poenitentibus, atque in catechismo omnibus fidelibus proponens; sed talis praxis non existat; ergo &c. Confirmatur. Si peccator extra Sacramentum eliciat actum perfectae contritionis, aut cum Sacramento poenitentiae actum universalis attritionis cum spe veniae, obtinebit justificationem; atqui, ut voluntas moveatur ad eliciendam contritionem illam, vel attritionem, non praerequiritur necessariò actus fidei strictae, sed sufficit quicumque alter supernaturalis actus illuminans voluntatem; ergo actus fidei strictae non praerequiritur necessitate medij.

Respondeo 1. dist. maj. adesset praxis Ecclesiae, aut formalis, aut saltem aequivalens, conc. solum formalis, nego maj. & distincta minori nego consequentiam. Ratio est, quia praxis formalis illa esset, qua poenitentes directè instruerentur, aut interrogarentur, an crederent? quae non semper adest, nisi, quando Confessarius de ea dispositione dubitat; praxis verò aequivalens in eo stat, quod de ea instruantur, aut interrogentur, quando Confessarius, aut alius, ad quem attinet, dubitat, an poenitens actum fidei eliceret? quo in casu poenitentes interrogantur de fide, sicut interrogantur de contritione, quando Confessarius de ea dubitat. At inter fideles raro evenit casus interrogandi de fide, si poenitens disposuerit se ad eliciendam contritionem. Etenim, ut diximus à num. 107. de auxil. *Facienti, quod est ex se, Deus non denegat gratiam*; unde prudenter judicamus, facientem, quod est ex se ad habendam contritionem, habuisse gratiam, qua elicit fidem praerequisitam ad contritionem; quin imò, qui accedit ad Sacramenta legis evangelicae, ut peccatorum remedium in eis inveniat, quomodo accederet, si non crederet ibi à Christo Domino remedium paratum esse? quare, si non sint fundamenta suadentia oppositum, ex eo accessu prudenter judicamus, fidelem illum jam credere. Ad confirmationem conc. maj. & dist. min. sufficit quicumque alter supernaturalis actus de potentia absoluta, conc. in hac providentia, nego min. & conseq. ut constat ex dictis.

Objicies 2. Quando Ecclesia alicui praecipit fidei protestationem, v. g. ad obtinendam cathedram, vel ad fuscipiendum Doctoratum, non apponit in formula protestationis fidei motum.



motivum requisitum ad fidem strictam, ut credat, quia Deus summè sapiens, & verax revelavit, sed tantum obligat ad assentiendum rebus à Deo revelatis; ergo assensus supernus rerum à Deo revelatarum sufficiens erit ad justificationem peccatoris, quamvis non sit actus fidei strictæ, proindeque actus fidei strictæ non requiritur necessitate mediæ ad justificationem peccatoris adulti. Respondeo conc. ant. & nego conseq. Ratio discriminis inter utrumque est, quia in casu assignato protestationis fidei Ecclesiæ intentio est, obligare ad amplectendas eas veritates revelatas, erroresque oppositos rejiciendos, quod sufficienter fit per illum assensum de objectiva fide, seu de objectis revelatis, quantumvis actus fidei non sit; at in casu nostro non solum vult Deus, quod rebus revelatis assentiamus, sed quod ipsi Deo credamus, quod absque actu fidei non fit; neque aliter Christus dedit adultis peccatoribus potestatem, ut filii Dei fiant, nisi credendò in Nomine ejus, ut diximus num. 7. 1. & constat à num. 60.

77. Obijcies 3. contra secundam assertionem. Tridentinum citatum num. 6. 2. apponit actum spei inter dispositiones prævias ad justificationem peccatoris adulti, & Ambrosius lib. 1. de penitentia Cap. 1. dixit: *Nemo potest agere penitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam*; ergo non solum requiritur spes, quando datur attritio, sed etiam, quando adest perfecta contritio. Respondeo permitto conseq. quæ non militat contra nos; jam enim diximus num. 72. valde probabile esse, nunquam in hac providentia moveri peccatorem adultum ad eliciendam perfectam contritionem, quin prius elicuerit actum spei. Dixi permitto, quia probabile est, non prærequiri necessitate mediæ, licet regulariter præcedat in hac providentia actus formalis spei ex parte voluntatis, si adsit perfecta contritio, qui, cum nobilissimus sit inter omnes voluntatis actus, jam præcontinet virtualiter actum spei; quod non militat in fide, cum ex parte intellectus non detur in via actus alius nobilior fide, in quo actus fidei virtualiter contineatur, ut diximus num. 64. quapropter aliqui cum Vega lib. 6. in Trid. cap. 12. contendunt, de facto Magdalenam, Matthæum, Paulum, & Dismam elicito fidei actu immediatè prorupisse in contritionem perfectam.

## SECTIO II.

*An actus charitatis sit ultima ad gratiam dispositio, & à quo proveniat?*

78. **A**ssero i. cum D. Thoma, Eximio Doctore, omnibusque ferè Thomistis, & nostris contra Vasquez, & alios. Actus charitatis, seu

contritionis perfectæ non est forma sanctificans, sed est ultima dispositio ad formam sanctificantem. Prob. 1. Actui charitatis, seu contritionis perfectæ promittitur justificatio in Sacra Scriptura tanquam novum omnino, & distinctum beneficium, & donum; sic Deuteronomij 4. *Cum quaesieris Dominum Deum tuum toto corde, invenies eum.* Jeremiæ 29. *Quæritis me, & invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro.* Isaïæ 30. juxta versionem septuaginta Interpretum de actu perfectæ charitatis, seu contritionis perfectæ dicitur: *Cum reversus ingemueris, tunc salvus eris.* Circa quæ plura alia videri possunt testimonia à num. 351. De virtute penitentia; ergo non est forma sanctificans, sed ultima tantum dispositio ad formam justificantem. Confirm. 1. ex Tridentino, quod, postquam sess. 6. cap. 6. enumeravit dispositiones ad justificationem prævias, quas inter apponit amorem indeterminatè, & vagè requisitum spei scilicet, vel charitatis, ut latè dixi à num. 330. de Virtutibus Penitentia; statim incipit cap. 1. per hæc verba: [Hanc dispositionem, seu præparationem justificationem ipsa consequitur;] ergo non est forma sanctificans, sed est ultima dispositio, ad quam consequitur forma sanctificans. Confirm. 2. ex eadem sessione 6. can. 3. ubi loquendo de dispositionibus tam intra, quam extra Sacramentum Concilium enumerat dilectionem, quæ contrahi potest tum ad spem, tum ad charitatem, ut constat ex num. 60. ergo &c.

Prob. 2. ex Trid. sess. 14. cap. 4. ubi de dispositione ad justificationem requisita ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Quibus in verbis manifestè loquitur Tridentinum de contritione præscindente à perfecta, & imperfecta; ita, ut ea contritio contracta ad illam, quæ disponit ultimò ad justificationem extra Sacramentum, sit actus perfectæ charitatis, seu contritio perfecta. Contracta vero ad contritionem sufficientem cum Sacramento sit quævis ex illis, nimirum aut contritio perfecta, aut imperfecta. Etenim ante legem Evangelicam non sufficiebat imperfecta contritio. In lege verò Evangelica, cum justificatio fieri possit non solum extra Sacramentum, sed etiam intra Sacramentum penitentia; ut in eodem capite definit Tridentinum: Contritio perfecta est ultima, seu proxima dispositio ad justificationem etiam extra Sacramentum. Attritio autem, seu contritio imperfecta est ultima, seu proxima dispositio ad justificationem cum Sacramento Baptismi, aut Penitentia; ergo &c. Confirm. ex eodem Tridentino sess. 6. can. 9. ubi ait: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consistendum cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, cum sue voluntatis motu preparari, atque disponi, anathema sit;* ergo, si prælucente fide



immediate prorumpat peccator in contritionem perfectam, illa contritio perfecta erit præparatio, & dispositio ad justificationem.

80. Prob. 3. Ratione Theologica. Contritio perfecta, aut actus charitatis se solo, cum non sit tantæ bonitatis in ratione moris, ac malitiæ est peccatum lethale, ut latè dicemus in Tractatu de Incarnatione, non potest esse impossibile cum peccato lethali sive commisso, sive contracto per modum meriti, aut aut condignæ satisfactionis. Rursus non potest esse cum eo peccato impossibile per modum formæ physicae; aliter expelleretur peccatum, quamvis ea contritio sine libertate poneretur in anima; sicuti illud expellit gratia habitualis, ut patet in parvulis; atqui in adultis sine prævio, & libero voluntatis motu non potest dari in hac providentia remissio peccati, ut constat ex Tridentino citato num. superiori, ergo &c. Quamobrem hæc opinatio P. Vasquez, quam in hac nostra Schola primum tradere promiserat, non bene auditur, ideoque restrictus fuit à Superiore Societatis, ne illam in Schola ista aut doceret, aut defenderet, ut refert Cardinalis Pallavicinus in Vendicationibus Societatis cap. 27.

81. En ejus verba: *Gabriel Vasquez. Vir ille ingenio, atque erruditione, dum viveret (fortiter dicam) nulli secundus, cum hic Roma Theologiam profiteretur, eam tradere sententiam parabat, quam postea Typis ita suavit, ut multis magni nominis persuaserit, amorem Dei super omnia hujusmodi actum esse, qui per se, & etiam, si cum ab omni habitu divinitus infuso incomitatur animo complectamur, admissi peccati maculam deleat, & in adoptivos Dei filios amantes transcribat.* Hæc sententia paulò novior tunc Theologicis auribus accidebat; ideo à summo Societatis Moderatore facessere iussu ab hoc Gymnasio, quæ tamen rectionis nostræ mollitudo est, aut Gabriel adactus ad contrarium edocendum; sed citius permillum, ut Romana hæc Academia tanto Doctore, quam ut severa illa opinandi cautione, spoliaretur. Hucusque Palavicinus. Ex quo satis apparet, quam antiqua, atque constans apud Theologos fuerit assertio nostra.

82. Affero 2. cum Divo Thoma, plurimisque Thomistis, quos contra Gonet citat, & sequitur Contempson dissert. 4. Cap. 1. Scoto, ejusque Schola, Eximio Doctore lib. 8. de justificatione Cap. 11. & communi Nostrorum contra Vasquez, Valentia, Torres, & aliquos Thomistas. Ultima dispositio ad gratiam habituales sanctificantem non procedit physice effectivè ab ipsa gratia. Probat. 1. Quando peccator per dilectionem, seu contritionem perfectam ultimò se disponit ad gratiam habituales justificantem, ea gratia justificans confertur peccatori, quia contritus est, ut constat ex testimoniis Scripturæ, & Trident. adductis à num. 78, atqui, si ea contritio produce-

retur physice effectivè ab illa gratia justificante, talis gratia non conferretur peccatori, quia contritus est; ergo &c. Probatur min. Peccator non potest esse contritus, antequam habeat principium per se requisitum ad eliciendam contritionem, ut ex ipsis terminis constat; etenim homo nequit esse intelligens prior ad intellectum, aut volens prior ad voluntatem, ex eo, quòd intellectus sit principium per se requisitum ad intellectionem, & voluntas ad volitionem; ergo, si gratia justificans esset principium per se requisitum ad eliciendam contritionem, contritio non posset se habere pro priori ad gratiam, ac proinde talis gratia conferri non posset peccatori, quia est contritus, sed potius ut contereretur. Confirmatur. Gratia justificans non est in hac providentia componibilis cum peccato; atqui principium per se, quo peccator se libere disponit per contritionem perfectam ad expulsiorem peccati est componibile cum peccato, ut latè constat ex dictis num. 254. & 461. de auxilijs; ergo &c.

83. Responder 1. Gonet cum alijs modernis Thomistis, veram esse istam causalem: *Gratia confertur peccatori, quia contritus est*, exinde autem non probari, quòd contritio non procedat physice effectivè à gratia, ad quam ultimò disponit, cum sit etiam vera ista causalis: *Homo est contritus, quia habet gratiam habituales*. Ratio ejus est, quia gratia justificans exercet duplex munus, nimirum & auxilij moventis, & formæ sanctificantis. Unde prima causalitas est vera, quia intelligitur de gratia, ut habet rationem habitus, & formæ sanctificantis. Secunda causalitas etiam est vera, quia intelligitur de gratia, ut gerit vices auxilij, & prout est in fieri, seu infundi. Sic in ordine naturali istæ causales sunt veræ, fenestra aperitur, quia ventus aulam ingreditur: ventus aulam ingreditur, quia fenestra aperitur; pariter istæ: anima unitur corpori, quia est organicum, seu ultimò dispositum ad eam recipiendam, corpus est organicum, quia anima ei unitur, & corpus informat; atque in hoc sensu dixit Aristoteles causas sibi esse invicem causas, ideoque, quòd causat aliquid in aliquo genere causæ, potest ab ipso causari, & dependere in alio genere causæ. Quamobrem cum ultima dispositio ad gratiam, & ipsa gratia sint causæ in diverso genere, nulla est repugnantia, quòd contritio sit causa gratiæ dispositiva, & gratia sit causa contritionis physice effectiva; ex quo facile conciliantur & ratio Theologica, & testimonia omnia à nobis adducta.

84. Contra 1. Licet non repugnet mutua prioritas in diverso genere causæ, ut patet in causa finali, & physica; causa enim finalis est prior in intentione, & causa physica est prior in executione, sic prius intendo salutem, quam medicamentum; at prius physice apponitur medicamentum, quam adsit salus. Cæterum in eodem genere causæ manifestè repugnat mu-



tua prioritas, ut diximus num. 482. de auxilijs. Sic repugnat quòd, duæ causæ primò & per se ad invicem se producant. Causa enim producens debet esse pro priori naturæ ad productam; proindeque, si producta produceret primò, & per se suam causam productivam, existeret ante illam, atque exinde ante se ipsam: existeret quippe, antequam produceretur, cum produceretur ab alia, & existeret ante aliam; & sic esset prior naturâ, simulque naturâ posterior altera, quod, utpote in eodem genere prioritatis omnino repugnat; sed hoc ipsum eveniret in casu nostro. Cum enim Deus à contritione existente in anima moveatur ad producendam gratiam, contritio esset prior naturâ gratia; deinde gratia, si esset causa primò per se productiva contritionis, esset prior naturâ contritione; ergo &c.

85. **Contrâ 2.** Et utor Adversariorum exemplis. Quando aër fenestram aperit, & aulam ingreditur, duplex adest aëis motus, alter effectivus, quo, dum existit extra aulam, producit impulsu aperientem fenestrâ: hunc namque impulsu non producit intra aulam, quando fenestra jam est aperta, & aër ingressus est, sed extra aulâ, quando fenestra erat clausa. Alter est motus, quo aër suam præsentiam acquirit intra aulam: atque ad hunc motum requiritur, quòd fenestra jam sit aperta. Unde primus motus est naturâ prior aperitione fenestræ, neque provenire potest ab aëre præsentem intra, sed extra aulam; ita scilicet, ut, si Deus sineret aërem producere impulsu illum aperientem fenestram, & impediret, ne aulam ingrederetur, maneret totum id, quo fenestra aperitur ab aëre. Sicuti, quando lapis imprimit impulsu aperientem fenestram, quin aulam ingrediat, maneret totum id, quo lapis fenestram aperit, quin aulam ingrediat. Quare primus aëris motus ad producendum impulsu, quo aperitur fenestra, cum sit prior naturâ aperitione fenestræ, nequit subsequi, sed necessariò præcedit illam aperitionem, proindeque ista causalis à priori est falsa: ideo fenestra aperitur, quia aër aulam ingreditur, solumque est vera à priori ita: ideo fenestra aperitur, quia aër producit impulsu illum aperientem; atqui ad eum modum Deus ideo infundit homini gratiam, quia homo est contritus; ergo contritio nequit esse effectus, aut naturâ posterior infusione gratiæ, sed duntaxat potest esse naturâ prior.

86. **Pariter corpus organicum dupliciter considerari potest.** Primò quidem organicum per dispositiones accidentales ad animæ unionem prærequisitas, vel organicum per substantiale complementum illis dispositionibus superadditum, & prærequisitum ad operationes viventes in corpore organico. Si primo modo consideretur, hæc est falsa causalis à priori: ideo corpus est organicum, quia anima ei unitur, & hæc est vera: ideo anima ei unitur, quia corpus est organicum; atqui eodem mo-

do requiritur, quòd homo sit contritus, ut Deus producat gratiam, eamque homini infundat, quandoquidem hæc à Deo producit, & homini infunditur, quia contritus est; ergo &c. Quare doctrina ista omnibus alijs similibus exemplis adhibenda est, ne principia vera, atque lumine naturæ nota falsitati obnoxia proponantur. Sic, quando duæ columnæ ad modum crucis ad invicem sustentantur; ita, ut deficiente ea, quæ ex transverso est, caderet etiam ea, quæ erat recta, aut ea cadente, quæ erat recta, caderet etiam illa, quæ erat ex transverso, nequaquam exinde dari possit mutua prioritas in eodem genere.

Ratio est, quia ideo illæ duæ columnæ cum tali artificio firmæ persistunt, quia constituunt compositum accidentale ita tendens in centrum, ut nec pars dextra, nec pars sinistra prævaleat utriusque ponderi, quo sistit fundamentum, sive compositum illud accidentale includat tamquam contiguam unionem partium utriusque columnæ præsentiam ita ordinatam, vel hanc, aut illam extrinsecam correspondentiam ad locum extrinsecum, aut quicquam aliud juxta diversas Philosophorum sententias, cum autem tale compositum accidentale non constituatur ex una sola, sed ex duabus simul columnis, exinde stabilitas illa non stat in una sola, sed in utraque simul columna; quare, cum non possit esse prius naturâ partibus, sed potiùs partes sint quasi priores naturâ toto, sive accidentali illa præsentia, quæ est quasi modus totius; exinde nulla columna dici potest prior, & posterior naturâ respectu alterius; verum de his latius in Philosophia.

**Respondent 2.** alij Thomistæ cum Cajetano, quos etiam sequitur Gonerus, gratiam habituales esse priorem contritione, quatenus ea gratia se habet ex parte agentis exercendò munus motionis, & auxiliij; esse autem posteriorem, quatenus se tenet ex parte passi exercendò munus gratiæ justificantis. Quare est prior, & posterior, non quidem sub eodem, sed sub diverso respectu, quod non implicat. **Contrâ 1.** Auxilium excitans, movens, aut præveniens, ut constat à num. 18. de Auxil. non est gratia habitualis, aut qualitas mortua; sed est actus vitalis; ergo gratia habitualis non exercet munus talis auxiliij moventis. **Contrâ 2.** Gratia habitualis non producit à Deo in peccatore adulto, nisi quando jam est dispositus per contritionem. Datur enim homini, quia contritus est; ergo pro priori ad gratiam habituales jam est producta contritio, ac proinde ante productionem gratiæ habitualis præcessit illi auxilium movens prærequisitum ad eliciendam contritionem. **Contrâ 3.** Virtus motiva, & virtus justificativa esset eadem realiter cum gratia habituali; atqui inter formalitates creatas realiter identificatas nequit convenire realiter absolute uni, quod non convenit alteri, proindeque non potest una realiter producere, & non altera; aliter inter illas daretur distin-



Actio realis in tertio, ut constat à num 130. de Deo, quæ inter prædicata creata repugnat; ergo &c.

89. Respondent 3. alij Thomistæ cum Soto, contritionem prout procedentem à voluntate esse priorem gratia habituali, cum sit causa talis gratiæ: at, ut procedentem à gratia habituali non esse illā priorem, neque causam talis gratiæ, sed esse effectum, & posteriorem. Contrā 1. Contritio, quæ disponit ad gratiam, est supernaturalis, ut constat à num 60. atqui contritio supernaturalis nequit procedere à sola voluntate; ergo procedit à gratia; atqui ante contritionem non est gratia habitualis in anima, sed gratia actualis, & præveniens; ergo &c. Contrā 2. Homo non se habet mere passivè in ordine ad contritionem, qua se disponit ad gratiam, sed verè, & realiter elicit illam contritionem se liberè exercendò, ut constat ex Trident. sæpius adducto; ergo pro signo prioris ad elicentiam contritionis præcedit in homine gratia prærequisita ad elicendam liberè contritionem; atqui pro illo prioris ad contritionem non præcedit gratia habitualis; ergo &c.

90. Respondent 4. Vasquez, & Turrianus, gratiam habitualement, ut productam esse priorem contritione; at ut unitam animæ esse contritione posteriorem; quare facile componitur, & quod gratia habitualis sit causa per se contritionis, & quod conferatur homini, quia contritio. Contrā tamen 1. Deus in hac providentia non producit gratiam extra subiectum, proindeque, quando eam producit, producit illam unitam subiecto; atqui apud Adversarios contritio nequit procedere in hac providentia à gratia habituali unita subiecto, ergo neque à gratia habituali in hac providentia à Deo primò producta. Contrā 2. Gratia ut unita subiecto est in hac providentia gratia ut justificans; quandoquidem gratia habitualis in hac providentia nequit conjungi cum peccato, ut constat ex dictis; atqui principium ad elicendam in hac providentia contritionem, qua peccator se disponat ad gratiam habitualement, est indifferens ad utrumque, atque componibile tum cum peccato, tum cum contritione disponente ad gratiam expellentem peccatum; ergo gratia habitualis in hac providentia nullo modo esse potest principium per se requisitum ad elicendam eam contritionem.

91. Probatur 2. conclusio ex Divo Thoma 1. p. quæst. 62. a. 2. ad 3. *Conversio est, per quam aliquis preparat se ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia.* Quid clarius. Tum etiam prim. 2. quæst. 109. a. 2. in Corp. *Ad hoc, quod d. preparat se homo ad susceptionem doni gratia habitualis, non oportet presupponere aliquod aliud donum habituale in anima; quia sic procederetur in infinitum, sed oportet presupponere aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum.* Rursus 3. p. quæst. 82. a. 1. ad 2. *Actus primus penitentis se*

*habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam; alij verò consequentes actus penitentiae procedunt jam ex gratia, & virtutibus.* Tum etiam quæst. 22. de veritate a. 8. eandem nostram sententiam latè docet, & probat Divus Thomas. Quare, ait Contemplon supra citatus, Thomistæ, qui cum Gonet contrariam sententiam defendunt, manifestè contradicunt Divo Thomæ.

Assero 3. cum Cardinale de Lugo disp. 8. de Incarnatione, Arriaga, Oviedo, & comuni Nostrorum contra Ripaldam, Aldretem, quos refert Ilquiedo tom. 2. de Deo disp. 42. neque de potentia absoluta potest contritio primò produci ab habitu, ad quem primò producendum ultimò disponitur. Prob. 1. Si aliquomodo posset contritio excogitari de potentia absoluta ultimò disponens ad talem habitum, esset vel ex vi decreti intentivi, in quo jam prævideretur contritio absolute futura, & sufficiens dispositio ad habitum, à quo per decretum executivum produceretur, vel ex vi decreti præcisè disjunctivi, quo Deus decerneret contritionem ut duo, eamque postea produceret, aut ab habitu perfectò ut duo, aut ab habitu perfectò ut quatuor; ita, ut ea contritio in decreto disjunctivo absolute prævisa moveat Deum, & Deus ex complacentia illius contritionis decernat postea illam producere per habitum ut quatuor; quo in casu, licet habitus ut quatuor secundum duos primos ejus gradus non possit esse præmiu; at secundum alios duos jam esset principium, & præmiu illius contritionis: atqui neque hoc modo potest contritio ultimò disponere ad primò producendum habitum, à quo ipsa primò producit; ergo &c. consequenter, & maj. est unicum Adversariorum fundamentum.

Minor verò probatur. Contritio nequit esse dispositio moralis, aut meritum alicujus præmij, nisi ut prævisa jam in se ipsa per determinata principia absolute futura; aliter ipsa contritio, ut prævisa in decreto purè intentivo posset esse dispositio ad se ipsam, & meritum sui ipsius ad existendum in se ipsa per decretum executivum, quod est contra lumen naturæ, contra omnes Theologos, & contra ipsos Adversarios; atqui contritio præcisè, ut prævisa in decreto intentivo, aut decreto disjunctivo non est contritio in se ipsa prævisa per determinata principia; etenim in se ipsa nequit ita prævideri extra causas, nisi pro signo sequenti ad causas, à quibus per se determinatè procedit; in signo autem decreti purè intentivi, aut purè disjunctivi adhuc non videntur absolute futuræ causæ, à quibus producenda sit contritio, quandoquidem producenda est per decretum executivum, & determinatum subsequens decretum intentivum, & disjunctivum; ergo præcisè ex vi decreti intentivi, aut disjunctivi non adhuc prævidetur contritio moraliter disponens, aut merens habitum, à quo ipsa primò producenda sit.

Confr.



94. Confirmatur 1. Ex vi decreti præcisè intentivi, aut disjunctivi non potest contritio mereri primam gratiam, seu primum auxilium; aliter primum auxilium non esset gratia, sed merces, quod dici non potest; atqui nulla alia ratio assignari potest, nisi quia ex vi decreti præcisè intentivi, aut disjunctivi, cum non adhuc videatur decretum determinatum, & executivum, à quo contritio per se procedit, videri nondum potest disponens, aut merens; ergo &c. Confirmatur 2. In eo distinguitur meritum à causa finali, quòd causa finalis movet, ut sit; sic apponimus media, ut sit salus: at causa meritoria movet, quia est; ita, ut jam sit absolute prævisa in se ipsa pro sua differentia temporis dependens à causis, à quibus per se procedens ut moveat ad præmium; atqui non potest in se ipsa ita prævideri exitura pro sua differentia temporis, nisi pro signo sequenti ad decretum determinatum, & executivum, à quo per se procedet in sua differentia temporis; ergo &c. Confirmatur 3. Contritio præcisè ut disjunctivè intenta non potest mereri se ipsam, ut determinatè, & in executione ponendam, ex eo, quòd disjunctivè intenta nondum dici potest movere, quia est; ergo &c.

95. Prob. 2. Contritio, ut adversarij fatentur, licet de potentia absoluta posset, at connaturaliter, sive de potentia ordinaria nequit disponere ad habitum, à quo primò per se producit; atqui fundamentum Adversariorum eodem prorsus modo probaret de potentia ordinaria, & connaturali vi contritionis, ac probaret de potentia absoluta; ergo, sicut fundamentum illud apud Adversarios est falsum de potentia ordinaria, ita etiam de potentia absoluta. Prob. ant. Absque ullo miraculo, & absque ulla rerum violentia potest Deus pro libito suo decernere contritionem per decretum purè intentivum, aut disjunctivum, atque pro signo sequenti elicere decretum determinatum, & executivum, quo contritio pro sua temporis differentia, reducenda sit extra causas; sed quod ita fieri potest absque ulla violentia, & miraculo, non est supra connaturalem vim contritionis, neque fieri potest duntaxat à Deo de potentia extraordinaria, verum etiam de potentia ordinaria, ut ex ipsis terminis patet; ergo &c. Ex dictis

96. Fit 1. Principium meriti non posse cadere sub meritum. Ratio est, quia actus meritorius non est meritum, nisi prout se ipso prævidetur absolute futurus, & pendens à suis determinatis causis pro sua differentia temporis: atqui Deus moveri non potest ab actu ita in se ipso absolute præviso pro sua differentia temporis ad decernenda ea principia determinata, à quibus ille actus per se producit; quandoquidem, ut ille actus in se ipso pro sua differentia temporis ita absolute prævideatur, necesse est, ut Deus jam decreverit pro signo priori ea principia conferre; ergo &c. Fit 2. Creaturam non posse mereri primam gratiam.

Ratio est, quia pro signo priori ad primam gratiam prævideri non potest in se ipso pro sua differentia temporis absolute futurus ullus actus supernaturalis, proindeque Deus non potest ab illo actu moveri ad primam gratie collationem: sed hoc requirebatur, ut creatura mereri posset primam gratiam; ergo &c. Fit 3. Creaturam per unum actum elicivum virtutis gratiæ posse mereri alteram gratiam ad elicivendum alium actum: Ratio est, quia in eo casu ex actu absolute præviso movetur Deus ad dandam gratiam subsequenter actum, atque merito ipsius actus respondentem, quamquam autem gratiam possit homo mereri de congruo, quamquam verò de condigno, dicemus in Tractatu de merito.

### SECTIO III.

#### *Solvuntur Opposita.*

Objicies 1. contra primam conclusionem. Sæpe in Sacra Scriptura dicitur, *Deus diligit diligentes se*; ergo actus charitatis est ius ad divinam redamationem, proindeque forma sanctificans. Confirmatur 1. Juxta Tridentinum sess. 14. cap. 4. adscribitur justificatio actui perfectæ charitatis: sed non abstergeretur illi, si non esset forma sanctificans; ergo &c. Confirm. 2. aliorum Patrum testimonijs, quæ affert Vasquez, in quibus charitas actualis aliquando dicitur pulchritudo, & sanctitas animæ, aliquando verò iustitia, remissio, & destructio peccatorum; quandoque conformatio, & assimilatio cum Deo: sed ista sunt propria munera formæ sanctificantis; ergo &c. Confirm. 3. ex alijs Patribus dicentibus, homines diligendos Deum fieri Dei amicos. Quare D. Bernardus ait: *Amor per se sufficit, & per se placet, & propter se*: tum etiam Augustinus supra illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, ait: *Si Deus non reciperet confuentes ad se, esset in eo iniquitas*: sed hæc haberi non possent, nisi actus perfectæ charitatis esset forma sanctificans; ergo &c.

Resp. 1. conc. ant. & neg. conseq. quia Deus diligit diligentes se ex sua promissione, qua misericorditer voluit in hac providentia non denegare gratiam sanctificantem, & constituentem filios Dei, sed eam concedere illis, qui actu perfectæ charitatis Deum diligunt: hoc autem non habetur ex jure talis actus ad redamationem. Si enim plebejus, qui graviter offendit Regem, licet postea Regem diligat, & affectivè sit amicus Regis, non ex eo est effectivè amicus, neque habet jus ad amicabilem redamationem; quanto minus homo, licet Deum diligat, sitque affectivè Dei amicus, non exinde erit effectivè amicus Dei, aut habebit jus ad divinam redamationem? Amicitia enim effectiva, sive constituens amicos, fit in mutuo jure ad redamationem inter eos, qui eadem speciali natura gaudent, quod habetur



in homine ratione gratiae habitualis, quae est participatio naturae Divinae, & jus ad redamationem, & in Deo ratione suae sanctitatis, & promissionis; sicuti inter homines, qui eadem specie naturae gaudent, habetur in promissione, & acceptatione mutua ad redamationem, in quo stat jus ad redamationem amicabilem; Unde licet aliquis amet alterum, aut ab eo redametur amore charitatis, live amicitiae, non exinde erit effectivè amicus, neque amor ille erit amicalis, si non addit jus mutuum ad redamationem.

99. Ad primam confirmationem dist. maj. ascribitur tamquam ultimae dispositioni ad gratiam justificantem conc. tamquam formae sanctificantis neg. maj. & dist. min. neg. conseq. ut constat ex dictis. Videatur D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 2. Ad secundam confirmationem dist. maj. dicitur pulchritudo &c. arguitivè conc. formaliter neg. maj. & dist. min. neg. conseq. Etenim cum actus charitatis, ut constat ex Trideptino adducto à n. 18. sit ultima dispositio ad formam sanctificantem, tribuuntur illi arguitivè, non verò formaliter munera gratiae sanctificantis: ad eum modum, quo ultima dispositio ad formam ignis dicitur destructiva formae ligni, non quidem formaliter, sed arguitivè. Ad tertiam confirmationem, conc. maj. & neg. min. quia ea omnia rectè dicuntur de actu perfectæ charitatis tamquam de ultima dispositione ad sanctitatem, quam Deus in hac providentia non vult informè, ut in simili diximus cum D. Thoma num 30. & satis constat ex Trid. superius à nobis adducto. Unde si hominem dilectione perfectæ diligentem Deum non recipere Deus, ageret contra suam promissionem, in quo esset iniquitas; Neque ad rem venit, quòd charitas se ipsa Deo placeat, nam quicumque actus virtutis se ipso placet Deo; neque exinde est forma sanctificans.

100. Obijcies 2. Dilectio perfectæ est se ipsa formaliter expulsiiva omnis peccati tum actualis, tum habitualis; ergo est forma sanctificans. Prob. ant. non potest quis offendere actualiter Deum, dum illum super omnia diligit, proindeque amor Dei super omnia certissime est se ipso incomponibilis cum omni peccato actuali. Rursus peccatum habituale consistit in peccato commissio, & non retractato, dilectio autem perfectæ est retractatio peccati; ergo est se ipsa formaliter expulsiiva etiam peccati habitualis. Confirm. 1. Peccatum est voluntaria aversio à Deo, & conversio ad creaturam: atqui dilectio Dei super omnia est se ipsa formalis conversio ad Deum, & aversio à creatura; ergo est se ipsa formaliter expulsiiva omnis peccati. Confirm. 2. Per actum lethaler peccaminosum non solum constituitur homo affectivè, sed etiam effectivè malus, & inimicus Dei; ergo per actum charitatis perfectæ non solum constituitur bonus, & amicus Dei affectivè, sed etiam effectivè. Confirm. 3. Si dilectio Dei super omnia non esset se ipsa

R. P. GORMAN. Theolog. Tom. I.

formaliter incomponibilis cum peccato habituali, in sensu composito dilectionis perfectæ adhuc in alia providentia posset esse homo inimicus Dei, & dignus poenâ æternâ, possetque mitti in infernum; qui est status necessitatis moralis ad peccandum actualiter: atqui ille, qui potest componi cum statu necessitatis moralis ad peccandum actualiter, potest componi cum actuali peccato; ergo dilectio Dei super omnia posset componi cum peccato actuali, si semel componi posset cum habituali, quod evidenter repugnat.

Resp. Neg. ant. quoad secundam partem, ad probationem concessa prima antecedentis parte neg. secundam cum conseq. Nam peccatum habituale non stat propriè in eo, quòd sit commissum, & non sit retractatum, sed in eo, quòd sit commissum & non sit destructum, aut remissum; ad hoc autem ut sit remissum satis non est, quòd creatura velit remissionem; sicuti ut remittatur debitum contractum mille aureorum v. g. satis non est quòd debitor desideret, ut ei debitum illud remittatur. Ad primam confirmationem dist. maj. voluntaria aversio affectivè, & effectivè transgressiva juris Dei, conc. non transgressiva, neg. maj. & dist. min. est se ipsa formalis conversio affectivè, conc. effectivè, neg. min. & conseq. quia, ut esset conversio non solum affectivè sed etiam effectivè, opus erat, ut non solum esset voluntas destruendi peccatum, sed etiam esset formalis peccati destructio; ad ponendam autem formalem destructionem peccati: cujus homo reus est, non sufficit, quòd reus ipse velit destructionem peccati, ut ex ipsis terminis notum est: sed requiritur saltem, quòd apponat id, cui talis remissio ratione sui debeat; cum autem actu charitatis ratione sui non debeat ea remissio, exinde nequit esse effectivè ratione sui conversio ad Deum; quin imò plures Theologi docent, idem etiam dicendum fore, quamvis actus charitatis esset dispositio ad gratiam non solum ex lege Dei, sed etiam ex natura rei; nam eo in calu se haberet, sicut unio albedinis cum subiecto, quæ unio non est virtus dealbativa, sed cui deberetur virtus dealbativa, sed de his latè in Tractatu de Incarnatione.

Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia peccatum lethale est gravis transgressio divinæ legis, proindeque est contra actualem Dei voluntatem, tribuitque Deo jus ad rationabilem, gravemque displicentiam, in quo stat, quòd homo per tale peccatum redatur effectivè malus; at per dilectionem Dei super omnia, qua homo divinam amicitiam affectivè desiderat, non apponit effectivè id, cui debeat remissio contracti debiti, ut constat ex num. 98. proindeque formaliter vi illius actus nequit homo manere bonus, & amicus Dei effectivè. Ad tertiam confirmationem conc. maj. & dist. min. potest componi cum actuali peccato, dum maneat impeditus ad peccandum, neg. dum maneat expeditus,

000

conc.



conc. min. & neg. conseq. ratio est, quia, licet status inferni sit status necessitatis moralis ad actualiter peccandum, non denominaret moraliter necessitatum illum, qui haberet dilectionem Dei super omnia in sensu composito talis dilectionis, cum ea dilectio sit victoria illius necessitatis moralis. Quare si in sensu composito illius dilectionis Petrus mitteretur in infernum, non posset in eo instanti peccare, neque haberet necessitatem moralem ad peccandum, nisi desistendo à dilectione, cum enim necessitas moralis possit vinci physice per suum oppositum, illa dilectio, quæ omnino opposita esset tali necessitati, revera vinceret illam necessitatem, atque ita subsequenter redderet Petrum impedimentum ad denominationem moraliter necessitati ad actualiter peccandum, unde si ea dilectio supponatur pro signo priori ad statum inferni, supponetur & pro priori victa illa moralis necessitas, si autem supponatur ea dilectio pro signo posteriori, supponetur quoque pro signo posteriori illa moralis necessitas superata.

103. Obijcies 3. contra secundam conclusionem. D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 2. agens de pijs motibus, qui ad justificationem disponunt, sic habet: *Cum isti motus, qui sunt in ipsa justificatione impij, sint quasi dispositio ultima ad gratia receptionem, suo modo procedunt quidem in via causæ materialis, sed sequuntur in via causæ formalis.* Et 1. 2. quæst. 113. art. 8. ad 2. *Dispositio subiecti præcedit subiectionem forma ordine naturæ, sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subiectum disponitur, & ideo motus liberi naturæ ordine procedunt consecutionem gratia, sequuntur autem gratia infusionem.* Tum etiam art. 7. Nullum præter gratiam habitualement auxilium videtur admittere ad justificationem, dum ait: *tota justificatio impij originaliter consistit in gratia infusione: per eam enim & liberum arbitrium movetur & culpa remittitur.* Ibi enim D. Thomas non loquitur de auxilio actuali, quandoquidem per illud non remittitur peccatum, proindeque habitualement gratiam intelligit sub nomine auxilij: atqui contritio procedit effectivè à gratia auxiliante; ergo, juxta D. Thomam procedit effectivè à gratia habituali, ad quam ultimò disponit.

104. Resp. Admittendo testimonia D. Thomæ, & negando min. subsumptam cum conseq. Ex illis enim testimonijs nihil omnino contra doctrinam nostram infertur: Primum enim non venit ad rem, quia dispositio illa sive pius voluntatis motus, utpote se habens ex parte causæ materialis, quandoquidem materia non causat, vel recipit, nisi ut disposita, præcedit in genere causæ materialis dispositæ ipsam gratiam, sicut materia disposita præcedit formam, at in genere causæ materialis completæ, & formatæ subsequitur formam ad eum modum, quo totum non est prius, sed poste-

rius suis partibus, ut diximus num. 81. ceterum quòd dispositiones illæ sequuntur gratiam in genere causæ per se efficientis, de quo est controversia, nunquam, & nusquam dixit D. Thomas: neque secundum testimonium venit ad rem; Nam D. Thomas nequaquam dixit, dispositionem, quæ præcedit infusionem formæ sequi actionem formæ, sed sequi actionem agentis; sed quid exinde contra nos? certe contra Adversarios maxime militat testimonium istud, ex quo rectè infert D. Thomas, quòd motus liberi arbitrij præcedit naturæ ordine consecutionem gratiæ habitualis, & sequitur infusionem gratiæ actualis. Tertium denique testimonium nihil probat; Nam ibi D. Thomas solùm loquitur de gratia actuali incitante ad pios motus; quare non dixit, quòd in ea consisteret formaliter justificatio, sed originaliter, quia origo, & initium justificationis in auxilio prævenientis, & excitantis gratiæ positum est.

Obijcies 4. Deus diligit prius hominem, quam homo Deum ex 1. Joannis. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos;* ergo prior est gratia habitualis, per quam Deus diligit hominem, quam contritio, vel dilectio, per quam homo diligit Deum. Confirmatur 1. ex Joannis 15. ubi Christus ait: *Sicut palmes non possunt ferre fructum à semet ipsis, nisi manserint in vite, sic nos vos, nisi in me manseritis;* ergo prius est, quòd homo maneat in Deo per gratiam sanctificantem, quàm quòd eliciat contritionem. Confirmatur 2. ex Arausiano 2. Can. 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant;* sed gratia præcedit, ut fiant, & Can. 25. *Ipsæ dedit nobis, ut Deum diligereamus, qui charitatem diffudit in cordibus nostris;* ergo prius est, quòd habeamus gratiam, & charitatem, quàm quòd eliciamus contritionem. Confirmatur 3. Gratia habitualis est principium proximum vitæ supernaturalis; atqui nullus actus vitalis produci potest, quin præcedat principium proximum vitæ; etenim, si Deus moveret corpus mortuum, motus ille non esset vitalis, quia abesset anima, quæ est principium mortis. Patet, si Angeli corpus assument, ea corpora non operantur vitaliter, quia desunt anima, & facultates naturales eorum mortuum operantes, quæ sunt principium vitale, & principium vitale est omnino insupplebile; quare actus dei, & spei informes non sunt vitales; justus enim ex fide, quæ per dilectionem operatur, vivit, proindeque fides sine operibus mortua est, & qui non diligit, manet in morte; ergo, ut producat contritio, necesse omnino est, quòd gratia habitualis illam producat.

Respondeo dist. ant. Deus diligit prius hominem amore benevolentia; conc. amore amicitabili, nego anteced. & consequentiam; neque video, quomodo Adversarij possint de hac veritate dubitare, aut in alienum sensum scripturam deterquere; quandoquidem certum est, Deum



Deum odio inimicabili prosequi peccatores, simulque alio amore non quidem amicabili, de quo diximus num. 98. sed benevolentiae illos diligere, dum vult illis alia bona, inter quae veniunt auxilia gratiae actualis, quae Deus illis confert, ut à peccatis resurgant, quibusque plures peccatores resistunt. Ad primam confirmationem conc. ant. & nego conseq. quia Christus in eo testimonio loquitur de fructu condigno gratiae, & gloriae, quem ferre non poterit homo, nisi manserit in Christo per gratiam sanctificantem, eamque gratiam non amiserit, ut dicemus agentes de merito. Contritio autem, qua peccator disponitur ad gratiam sanctificantem, non est meritoria de condigno gratiae sanctificantis, sed solum de congruo, quin imò, ut peccator hanc contritionem eliciat, necesse est, ut etiam maneat in Christo recipiendo ab ipso non quidem influxum amicabilem, sed benevolum, in susceptione auxiliantis gratiae inclusum, de quo agit Augustin. Tractatu 18. in Joan. unde, cum dupliciter possit homo considerari manens in Christo, videlicet aut per conjunctionem amicabilem, aut saltem per benevolam, aliqua ex his necessaria est, ut faciat fructus meritorios vitae aeternae.

107. Ad secundam confirmationem conc. antec. & nego conseq. quia Augustin. in primo testimonio loquitur de gratia auxiliante contra Semipelagianos, non praequirentes auxilium ad initium salutis; exinde autem perperam infertur, gratiam habitualement esse indispensablem principium effectivum actus charitatis, & contritionis. In secundo vero testimonio loquitur etiam de gratia auxiliante, per quam dicitur diffundi Spiritus Sanctus, non quidem ut inhabitans, sed ut motor; vel loquitur de ipso actu charitatis, qui etiam dicitur diffundi sensu, in quo canit Ecclesia, *Infunde nobis Domine tuae charitatis effectum*. Quin potius Arafricanum eodem loco agit de praeparatione ad actum fidei, & spei, ad quam non infunditur Spiritus Sanctus, nisi ut motor per gratiam auxiliantem; unde idem quoque dicendum est in nostro casu, atque hoc sensu intelligendus est Augustin. Tractatu 15. in Joannem dicens: *Quomodo diligimus, ut Spiritum Sanctum accipiamus, quem, nisi accipiamus, diligere non valeamus*.

108. Ad tertiam confirmationem dist. maj. est principium vitae meritoriae de congruo, conc. de condigno, subdist. formale, conc. effectivum, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Ratio est, quia principium proximum vitae, quod suppleri non potest, est illud, quod actu vitali denominatur vivens, & hoc suppleri non potest ab extrinseco, sicut neque actus, quo potentia denominatur cognoscens. Virtus enim cognoscitiva stat in essentia entis, & essentiae insupplebiles sunt; at alia principia effectiva, cum non sint de essentia principij viventis, sed illi superadveniant,

possunt supervenire vel intrinsece, vel extrinsece, dum contineant virtutem illius actus vitalis productivam, atque ita possint potentiam vitalem adjuvare; sic apud ipsos Thomistas auxilium permanens suppleri potest per aliud transiens, quo ipsi ajunt, Div. Paulus elicit visionem Dei: principia enim effectiva suppleri posse ab extrinseco, res notior est, quam quae probatione indigeat; Petrus enim, qui intrinsecas vires amisit, quibus poterat elevare pondus ut octo, solumque potest modo elevare pondus ut quatuor, adjuvari certe potest ab aliquo extrinseco ad elevandum pondus ut octo; quare, cum principium, quod à supernis actibus intrinsecis denominatur vivens, sit homo, & non gratia superaddita homini, virtus illa vitalis est homini insupplebilis; at gratia necessaria ad eos actus physice producendos potest esse vel intrinseca, vel extrinseca, de quo latè egi in Tractatu de actibus humanis.

Objicies 5. Inclinatio ad bonum alicujus naturae supponit naturam illam saltem participatam, ut actus ab ea procedat; atqui actus contritionis, & dilectionis perfectae sunt inclinatio actualis ad bonum divinum, ut est in se; ergo supponunt gratiam habitualement, quae est natura divina participata, ut ab ipsa procedant. Confirmatur 1. Actus de condigno meritorij vitae aeternae procedunt physice effectivè à gratia sanctificante: sed omnis actus charitatis, & contritionis sunt de condigno meritorij vitae aeternae; aliter adultus extra Sacramentum justificatus, & statim post acceptam gratiam ante novos pietatis actus à gratia habituali profectos moriens, gloriam sine meritis propriis obtineret, siquidem nullum actum à gratia habituali profectum in ea suppositione eliceret, quod est contra Ecclesiae sensum, gloriam parvulis titulo hereditatis, adultis vero titulo mercedis merita compensantis asserentem; ergo &c. Confirmatur 2. ex D. Thoma 3. part. quaest. 7. art. 13. ad 2. dicendum: *Calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis jam praesistentis; sic etiam sensus tactus est dispositio ad receptionem animarationis, à qua effectivè procedit*; ergo etiam contritio potest esse dispositio ad gratiam, à qua effectivè procedit.

Respondet dist. maj. si sit inclinatio ad bonum alicujus naturae eo nodo, ac ipsa natura in suum bonum inclinatur, conc. si sit diverso modo, neg. maj. & distincta min. nego consequentiam, quo homo desiderat habere puritatem angelicam, vel nivis candorem, est inclinatio in bonum naturae angelicae, atque in bonum naturae nivis, quin talis actus supponat influxum naturae angelicae, aut naturae nivis, vel sit à natura participata ab illis ex eo praesens, quod ea inclinatio non sit eodem modo in homine, ac sit in ipsa nive, vel in natura angelica. Pariter inclinatio in bonum divinum, cum in homine non sit eodem modo, ac est in

109.

110.



natura divina, non requirit influxum naturæ divinæ per sanctitatem participatæ, sed satis est participatio mediorum, seu auxiliorum ducentium in sanctitatem. Ad primam confirmationem neg. maj. quia, ut sanctitas sit condignificativa meriti, nequaquam requiritur, quod sit causa effectiva actûs meritorij, sed sat est, quod fuerit in subiecto independenter ab influxu actûs, qui elicitur, & pro eo instanti conservetur in subiecto, ut constet à num. 453. de actibus humanis. Sic Personalitates Divinæ non sunt ad extra productivæ, & tamen Personalitas Verbi est condignificativa actûs eliciti ab anima Christi Domini.

111. Quare, ut adultus obtineat gloriam ut coronam, necesse non est, ut actus ab ipso elicitus physicè producatur à gratia sanctificante, sed sat est, quod sit meritorius gratiæ, quam obtinet vel de condigno, vel de congruo, quo in casu, gratia data in præmium talis actûs jam exigit gloriam, quæ proinde dicitur corona, & non pura hæreditas, quia datur ob gratiam collatam in præmium. Ad secundam confirmationem concessio testimoniis D. Thomæ neg. ant. quoad sensum tactûs; iste enim non est dispositio prævia, ut introducat anima rationalis, sed constituitur tanquam ex forma ex anima, & tanquam ex subiecto ex materia organizata, & disposita; illæ autem dispositiones præviæ non quidem ab anima, sed ab alio agente prævio physicè producuntur. Testimonium autem D. Thomæ non venit ad rem, quia calor, qui fuit dispositio ad formam ignis; non fuit physicè productus à forma ignis, licet ab ea postea conservetur in subiecto; unde non dicitur effectus primò productus, sed conservatus. Quæ est ratio, propter quam postea D. Thomas eadem 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. non vocat illum absolute effectum, sed quasi effectum; ait enim: [per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ.] Quæ sanè verba nostram doctrinam maximè confirmant. Unde, licet causæ, quæ non debent physicè existere, ut causent, v. g. causa finalis, aut idæa intentionalis possint cum alijs esse ad invicem causæ: at illæ duæ causæ: quæ, ut causent, debent physicè effectivè producere, aut physicè existere, non possunt esse in eo genere sibi invicem causæ.

Objicies 6. contra tertiam conclusionem. Ex vi decreti purè intentivi, aut disjunctivi contritio est absolute futura: atqui Deus videt absolute in se ipsa contritionem absolute futuram; ergo ex vi decreti purè intentivi, aut disjunctivi videt Deus contritionem absolute in se ipsa: sed contritio ita prævisa est sufficiens dispositio ad habitum, à quo primò prodicitur; ergo &c. Resp. dist. maj. est absolute futura intra causas, conc. extra suas determinatas causas, neg. maj. & dist. min. cum consequ. neg. min. sublimitatem. Ratio est, quia, ut contritio sit sufficiens dispositio ad gratiam, necesse est, quod prævideatur absolute in se ipsa cum sua actione, per quam à suis causis procedet: hoc autem modoprævideri non potest, nisi videatur absolute pendens à principijs, à quibus determinatè producit. Quare contritio solum potest ita prævideri post decretum executivum, à quo per se pendet causæ determinatæ, à quibus ea contritio per se procedit. Videatur Ovidius Controverbia 2. puncto 8. à num. 101.

Objicies 7. instandò simul solutionem. Per scientiam mediam videtur contritio in se ipsa conditionatè futura: atqui non videtur extra suas causas determinatas cum actione, à quibus pendeat; ergo pariter, ut videatur in se ipsa absolute futura, & revera disponens ad gratiam, necesse non est, ut videatur cum actione sua extra suas causas determinatas, à quibus per se dependeat. Resp. conc. maj. & dist. min. Non videtur extra suas causas absolute, conc. conditionatas, neg. min. & consequ. Ratio est, quia, quando per scientiam mediam videtur contritio conditionatè futura, videtur etiam causæ conditionatæ, quæ, si absolute ponantur, ponetur etiam contritio absolute cum actione, per quam determinatè ab illis principijs dependeat; quare ex hoc argumento potius possumus Adversarios fortiter redarguere, nam si ex parte hypothesis scientiæ mediæ non supponantur causæ per se determinatæ, à quibus, si determinatè ponantur, ponetur cum sua actione ea contritio, non videtur per scientiam mediam in se ipsa contritio conditionatè futura; ergo, si absolute non supponantur causæ, à quibus determinatè ponetur contritio, non poterit per scientiam absolute videri contritio in se ipsa absolute determinata.

## DISPUTATIO IV.

### DE CONSTITUTIVO ET PROPRIETATIBUS METAPHYSICIS GRATIÆ HABITUALIS.

114. Diximus à num. 68. de Deo, quid veniat nomine essentiæ apud Theologos & Philosophos, & quomodo essentia universaliter sumpta ad hæc duo membra, nimirum physicæ, & metaphysicæ essentiæ contrahatur. Es-

sentia enim physica complectitur omnia ea prædicata cum re, de qua agitur, identificata, sine quibus ejus essentia nullibi reperiri potest; essentia verò metaphysica stat in prædicatis primarijs, seu præcipuis, & adæquantibus conceptum



ceptum rei pertinentis ad facultatem, in qua de ipsa agitur. Quare homo ut pertinet ad medicinam definitur animal sanabile, cum iste conceptus sit primarius, & adaequans significatum hominis prout à medicina respicitur. Pariter homo philosophicè sumptus rectè definitur animal rationale, quia obiectum prout à Philosophis definiendum debet complecti per genus, & differentias, non solum ea praedicata, per quae res definita primum distinguatur ab omni non ipsa, sed quae sint nobiliora in re definienda: atque ita adaequent significatum rei definitae; quare, licet apprehensivum sit prius discursivo; atque ideo per istum conceptum animal apprehensivum primum distinguatur ab omni non ipso, non est ista vera hominis definitio, homo enim constans corpore, & spiritu tanquam nobiliora sua praedicata complectitur principium sensationis, & discursus, live animal, & rationale, idcirco quaerimus, quanam sint praedicata primaria, seu praecipua gratiae habitualis significatum ejus adaequantia.

## SECTIO I.

### Explicatur habitualis gratiae conceptus Metaphysicus.

115. Cum gratia habitualis ex num. 2. sit in ordine superno divinae naturae participatio, primaria, & praecipua ejus praedicata ea certè sunt, quae hanc participatam naturam constituunt. Veruntamen ingens exinde oritur difficultas, quandoquidem omnia bona creata sunt à Deo participata, atque in hoc sensu verè dicuntur naturae divinae participatio; quomodo ergo ex hoc conceptu poterit habitualis gratiae natura rectè explicari? ad hanc difficultatē penitus dissolvendam, quae unica in praesenti est, notare oportet, tripliciter sumi frequenter naturam à Philosophis, & Theologis. Primum physicè, ut operativa pro principio motus, & quietis. Secundò. In ordine ad se ipsam, quo in sensu complectitur omnia praedicata, ex quibus physicè, & materialiter constituitur. Tertiò sumitur ethicè, quo in sensu significat praedicata ad rectitudinem morum spectantia, & quae sunt radix virtutum, seu potentiarum ad laudabiliter operandum. Sicut enim natura physica radicat suas potentias physicas; ita natura ethicè considerata radicat suas potentias morales, atque in hoc stat discrimen illud inter gratiam, & res alias, quae sunt participationes duntaxat divinae naturae physicè sumptae. Quandoquidem gratia, ut satis constat ex his, quae hucusque diximus, est participatio divinae naturae ethicè considerata. His positis, 116. Affero 1. cum Ripalda disp. ult. sect. 5. Esparza lib. 5. quaest. 3. plurimisque alijs. Gratia habitualis metaphysicè sumpta ita explicatur: habitus formaliter sanctificativus radicans virtutem supernarum virtutum ad rectè operan-

dum. Probatur 1. Gratia habitualis metaphysicè sumpta stat in primariis, seu praecipuis praedicatis ejus significatum adaequantibus, atque gratiam habitualement distinguuntibus ab omni non ipsa: sed haec omnia habentur per istum conceptum à nobis explicatum; ergo &c. Probat. min. nam haec praedicata sunt praecipua, & nobiliora in linea morum; quid enim nobilius excogitari potest, quàm quòd homo reddatur sanctus, justus, & gratus Deo? quid praestantius isto conceptu, ratione cujus homini debetur possessio sui ultimi finis? etenim, si homo sanctus non sit, jus non habet ad gloriam; si autem sit sanctus, eo ipso est heres gloriae, habetque jus ad aeternam beatitudinem, ad quam consequendam homo elevatus est; ergo ista sunt primaria, seu praecipua gratiae praedicata. Rursus conceptus iste assignatus, ut planum fiet discurrendò per singula, nulli alij convenit, nisi soli gratiae habituali; ergo &c.

Probat. 2. Gratia habitualis non solum est condonativa, seu remissiva peccati, sed etiam est virtus sanctificativa, ut docet Tridentin. sess. 6. Cap. 7. *Hanc dispositionem, seu preparationem justificationis ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, & donorum;* ubi simul docet, hanc gratiam esse unicam formalem causam nostrae justificationis, ut constat ex num. 1. ergo est habitus sanctificativus, cui debentur dona, seu virtutes ad rectè operandum; atqui haec omnia complectitur conceptus à nobis assignatus; ergo &c. Confirmatur. Quamvis Deus decernat peccatum remittere, hominem sanctificare, eique conferre virtutes supernaturales ad rectè operandum, tale decretum non est sanctitas hominis, quia non est formaliter sanctificativum, sed exigit sanctitatem, qua homo sanctificetur, & virtutes, quibus sit potens operari; ergo eatenus gratia est constituenda metaphysicè per sua praedicata praecipua, quibus distinguatur ab omni non ipsa, quatenus est non utcumque, sed formaliter sanctificativa. Rursus, ut natura in ordine superno non aliter constitui potest, nisi ut radicans virtutum; ergo conceptus definitivus à nobis assignatus & est primarius, & adaequatus, quo gratia distinguitur ab omni non ipsa.

Affero 2. Gratia habitualis ideo est formaliter sanctificativa, quia est praedicatum intrinsecum, se ipso incomponibile cum peccato, & jus formale ad gloriam. Probatur 1. conclusio, atque in primis quoad primam partem, scilicet, quòd gratia habitualis, ut sit sanctitas, debeat esse intrinseca sanctificatio; ex eo enim, quòd sanctificet hominem, est intrinseca hominis renovatio, ut constat ex Tridentino cit. num. 1. & num. superiori, est regeneratio, ut cum ipso Trident. & Scriptura diximus num. 2. est animae pulchritudo, ut docet Catechismus Trident. adductus num. 5. est virtus non tantum condonativa, sed sanctificativa, quae inter-



internè perficiendò mundat, ut constar ex Tridentino adducto num. superiori, arque ita mundat, ut amillam Dei imaginem, & similitudinè homini restituat, in quo stat, quòd sit participata Dei natura ethicè sumpta. Sic Chrysost. ad illa Genesis verba: *faciamus hominè ad imaginem & similitudinem nostram*, accuratè distinxit: *similitudinem* dixit, ut viribus humanis similes fiamus Deo mansuetudine & lenitate, & virtutibus. Et Ambrosius Tract. de dignitate hominis cap. 3. *Homo creatus est, ut charitatem haberet, ut bonus esset, & iustus, ut patiens, atque mitis, mundus, & misericors foret*, quas virtutes, quando quisque in se habet, tantò propius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem. August. epist. 54. ad Macedonium: *Reductio generis nostri non aliter per Salvatorem Christum facta est, quam participatione, & sanctificatione Spiritus unius participes facti participes reddimur divinae naturae reformantes nos ad sanctificationem, & imaginem primam*. Nam si peccatum à Deo separatur, iustitia certè coniungitur. Vide num. 120. & 134. Pariter D. Thomas 3. p. quæst. 3. art. ad 3. dicendum: *Quod assumptio, quæ fit per gratiam adoptionis terminatur ad quandam participationem divine naturae secundum quandam assimilationem ad bonitatem illius, secundum illud Petri: ut divinae consortes naturæ &c.* quæ omnia satis convincunt perfectionem sanctificativam stare non posse in aliquo purè extrinseco, sed esse prædicatum intrinsecum. Verùm de his latius à num. 134.

119. Rursus secunda pars conclusionis, scilicet, quòd perfectio sanctificativa sit etiam prædicatum se ipso incomponibile cum peccato, facile patet, quia aliter non esset participatio naturæ divinæ ethicè sumptæ, quæ sanctitas est se ipsa incomponibilis cum peccato, sed ad summum esse posset prædicatum exigens sanctitatem sicuti num. 117. diximus de decreto, quo Deus efficaciter decerneret hominem sanctificare; sic dicimus unionem albedinis non dealbare, sed exigere prædicatum, quod dealbat. Tandem tertia conclusionis pars, scilicet, quòd sanctitas, quæ talis sit jus formale ad gloriam, patet, quia, si homo non elevatus ad gloriam, sed in statu puræ naturæ productus, postea peccaret, & Deus illi peccatum remitteret, reverà ex injusto fieret non injustus, at non fieret sanctus, quia non haberet iustitiam, seu jus ad gloriam, & ut sit sanctus, requiritur, quòd sit hæres secundum spem vitæ æternæ, quæ est ratio, propter quam Tridentinum citatum num. 117. definit, quòd iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & addit: *Unde homo ex injusto fit iustus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ*; ergo sanctitas, quæ talis tria hæc indispensabiliter includit, nimirum esse prædicatum intrinsecum se ipso incomponibile cum peccato, & jus formale ad gloriam.

Prob. 2. Illa sunt prædicata metaphysicè constitutiva sanctitatis, quæ talis, quæ & præcipua illi sunt, & adæquant significatum sanctitatis, eamque distinguunt ab omni non ipsa, ut constar ex num. 114. sed hæc omnia habentur per conceptum sanctitatis in assertione nostra assignatum; ergo &c. Probatum min. Sanctitas ex Dionysio Cap. 12. de divin. nomin. est ab omni immunditia libera, & incontaminata mundities, sive, ut alij vertunt, puritas immaculata, & ab omni scelere libera, quo facis insinuat, esse prædicatum intrinsecum se ipso incomponibile cum peccato; aliter non esset mundities, & puritas immaculata, sed præcisè carentia sceleris, quæ duo valde diversa sunt. Etenim, si homini in statu puræ naturæ productus, & postea peccanti Deus per extrinsecam condonationem remitteret peccatum, certè homo ille haberet carentiam sceleris, at non haberet puritatem, aut munditiem immaculatam, sive se ipsa cum immunditie, aut lethali peccato incomponibile; quare Augustin. lib. 15. de Trinitate Cap. 8. dixit: *Natura, cum à suo conditore iustificatur, à deformi forma formosam transformatur in formam*. Et Paulus ad Ephesios 5. de iustificationis etiam dixit: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; hanc autem puritatem asserre jus ad gloriam, definitum est à Tridentino num. superiori; cumque iste sit finis, propter quem homo in statu elevationis productus est, istud prædicatum est in sanctitate præcipuum; ergo habet omnia prædicata, & adæquant significatum sanctitatis, & sunt in sanctitate præcipua, & sanctitatem distinguunt ab omni non ipsa. Ex dictis

Fit 1. Reliqua alia prædicata identificata cum gratia habituali esse proprietates metaphysicas. Primum inter hæc numerari solet prædicatum amicitiae: gratia enim est forma, per quam homo redditur amicus Dei, quatenus est jus ad amorem Dei, & ad divinam redamationem, ut dicemus num. 150. & innuimus supra num. 68. Unde aliud est actualis amicitia, seu actus amicitiae, & aliud est ratio constitutiva amici; si enim detur in aliquo jus ad amorem, & redamationem amicabilem, licet nunquam amaverit, aut amet, erit verè amicus, ut patet in pueris baptizatis, qui sunt verè amici Dei. Quare Tridentinum sess. 6. cap. 7. de homine per gratiam Dei iustificato ait: *Unde homo ex injusto fit iustus, & ex inimico amicus*. Illa quippe habitualis gratia, quæ hominem sanctificat, eique confert jus ad æternam hæreditatem, est ipsa, quæ confert jus ad ad divinam redamationem.

Alterum prædicatum, seu proprietas gratiæ metaphysica, est reddere subiectum expeditum filium Dei adoptivum: est enim gratia filiaris Dei adoptiva. Quare Trid. sess. 6. cap. 4. docet de impij iustificatione, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, quod



quod clare desumitur ex Scriptura, ubi ad Romanos 8. dicitur: *Accepistis spiritum adoptionis.* & ad Galatas 4. *Ut adoptionem filiorum reciperemus.* & ad Ephesios 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum.* Quare filio in præsentem non sumitur strictè pro naturali, aut propria, quæ solum convenit illi, qui non habet naturam extraneam à Patre, sed illi saltem per physicam unionem propriam; neque pro filiatione latissima, quæ effectibus omnibus competit, modo, quo Jobi 38. Deus dicitur Pater pluviae. neque pro effectu rationali à Deo producto, quo in sensu omnes homines etiam peccatores dicuntur filij Dei, atque in hoc sensu in oratione Dominica dicimus Pater noster, qui es in cælis.

123. Adoptio enim apud Theologos, & Juristas definitur naturæ extraneæ in filium legitima assumptio, qua definitione exprimentur duæ conditiones ad filiationem adoptivam requisitæ. Prima est, quod adoptio sit natura extranea, id est, quod non sit filius naturalis, aut proprius; ob defectum namque istius conditionis, Christus adhuc reduplicativè ut homo non est Filius Dei adoptivus, ut definitum est contra Felicem, & Elipandum, & latè dicemus in Tractatu de Incarnatione. Secunda conditio est, quod voluntate gratiosa assumatur, qui legitime adoptatur in filium; etenim, cum adoptatus jus ut filius habeat ad hereditatem paternam, quod per naturalem, aut propriam generationem non habebat, requiritur, quod assumatur per voluntatem gratiosam. Sic Concilium Francofortiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Quid est adoptio, nisi copulatio charitatis, qua pater sibi adoptione copulat filium, quæ proprium non habebat.* Quare gratia eatenus est filio Dei adoptiva, quatenus est forma, qua natura extranea manet ex ipsa natura rei in filium assumpta. Quamvis enim aliquis filius adoptivus possit propter sua delicta in humanis privari jure ad hereditatem à patre, quin adoptiva filiatione privetur, aut contra possit aliquis in humanis constitui hæres testamenti, quin adoptetur in filium; at per gratiam sanctificantem & constituitur filius, & hæres; ut enim ait Divus Paulus ad Romanos 8. *Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei coheredes autem Christi:* at, cum finis ultimus hominis sit, hanc æternam possessionem obtinere, ea de causa dicitur istud præstancius in gratia prædicatum. Sic Augustinus Tractatu 51. in Joannem: *Quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit, ubi est unicuique, non equalis saltus divinitati, sed consociatus æternitati.*

124. Fit 2. Gratiā habitualement in hac præsentem providentia esse viatoribus unicam naturam in ordine superno, qua iusti denominantur, & sunt, non autem esse unicam de possibili; ratio est, quia Deus ut Auctor supernaturalis non minùs est potens ad producendas naturas consentaneas rebus naturalibus; atqui in ordi-

ne naturali producere potest plures naturas inter se distinctas, nimirum naturam Angeli, hominis, leonis &c. in ordine supernaturali producere quoque potest plures naturas inter se distinctas. Quare, sicut in ordine naturali altera natura est perfectior, & altera minùs perfecta, etiam esset perfectior una, & minùs perfecta altera in ordine supernaturali: illa etenim, quæ solum radicaret virtutes morales, & non Theologicas, aut contra, esset minùs perfecta, quàm gratia habitualis, quæ de facto datur; illa autem, quæ radicaret non solum eas virtutes, sed etiam donum perseverantiæ, aut confirmationis in gratia, essetque cum lethalibus, & venialibus incomponibilis, esset absque dubio perfectior nostra gratia habituali.

Fit 3. in alijs providentiæ ordinibus, qui potuerunt à Deo institui, potuisse à Deo designari aut plura, aut pauciora, quàm modò necessitate medijs requisita ad justificationem peccatoris adulti; idemque dicendum de requisitis necessitate præcepti. Casu autem, quo homo haberet sanctitatem, haberet etiam jus ad media, sine quibus non posset obtinere gloriam. Ratio est, quia sanctitas, ut constat à num. 119. est jus ad gloriam, sed ille, qui habet jus ad finem, eo ipso habet jus ad media, sine quibus finis obtineri, non potest; ergo &c. Hæc autem est ratio, quare sanctitas dicitur disponere hominem ad rectè operandum, illumque assimilare Deo, atque ita esse participatio naturæ divinæ ethice sumptæ; non enim est participatio naturæ divinæ ethice sumptæ participando aliquam ethice naturæ Dei partem: hoc enim, ut ex ipso naturæ lumine constat, esset chymera, sed quia gratia à Deo data, & producta assimilaret hominem Deo in ordine ad perfectiones morales; sicuti alia dona naturalia purè physica dicuntur participatio naturæ divinæ physice sumptæ, non quia sunt pars aliqua naturæ divinæ physice sumptæ, sed quia sunt à Deo data, & producta, & assimilant hominem Deo in ordine ad eas physicas perfectiones. Deus enim continet in se omnem perfectionem sine imperfectione sive physice sive moraliter consideratam, atque adeo quæcumque creata perfectio dicitur perfectionis divinæ participatio.

### SECTIO III.

#### *Solvuntur Opposita.*

126. **O**bjicies 1. contra primam conclusionem. Eò quod gratia habitualis sit forma physica supernaturalis debet participare physice aliquam perfectionem divinam; ergo est physica participatio naturæ divinæ non quidem ethice, sed physice sumptæ. Confirm. 1. Homo dicitur nasci, & renasci ex Deo per gratiam Joannis 1. *Ex Deo nati sunt.* & 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit; sed nativitas*



tas, & Filiatio petunt necessariò, ut Filius participet naturam Patris, quæ non stat in rectitudine morali; hæc enim fectitudo cum sit propria voluntatis perfectio, pertinet ad perfectiones attributales naturam supponentes; ergo, homo per gratiam non participat naturam moralem; sed naturam physicam Dei. Confirm. 2. Participare formaliter aliquid est habere formalem convenientiam cum illo saltem analogam, ut patet in accidente respectu substantiæ; atqui gratia iustificans habet talem convenientiam cum natura divina physice sumpta: sicut enim natura Dei est eminenter quodammodo radix, cognitionis, & amoris, quo Deus se ipsum, ut in se ipso est, infinito modo cognoscit & amat; ita gratia est radix intelligendi, & amandi Deum, ut est in se ipso & prout, transcendit totum ordinem creatum, & creabilem. Confirm. 3. Plures Patres dicunt: Gratiam esse indefectibilem, independentem Dei substantiam, & alia huiusmodi; sed istæ locutiones verificari non possunt, nisi gratia sit participatio divinæ naturæ physice sumptæ ergo &c.

227.

Resp. conc. ant. & dist. conseq. Est physica participatio naturæ divinæ purè physice sumptæ, neg. ethicè & moraliter acceptæ, conc. conseq. Hoc enim argumentum totum quantum laborat æquivocatione. Non enim dubitamus, gratiam esse aliquid physicum; sicut & sanctitas Dei est aliquid physicum, atque in hoc sensu dici posse participationem naturæ divinæ physice sumptæ. Cæterum cum hæc sit ratio communis omnibus, & singulis prædicatis creatis, quærimus modò discrimen, quo gratia participat, & quo alia prædicata purè physica participant naturam Dei: hoc autem discrimen non stat in eo, quòd gratia sit participatio per assimilationem, quatenus est prædicatum purè physicum, sed quatenus est assimilatio naturæ moralis Dei sive naturæ Dei moraliter sumptæ; ex quo gratia dicitur participare Dei naturam ethicè sumptam. Ad primam Confirmationem dist. maj. nasci, & renasci ex Deo per gratiam physice, neg. generatione analogica morali, & adoptiva, conc. maj. & dist. min. ut Filius participet naturam Patris participatione consentanea generationi, conc. non consentanea, neg. min. & conseq. quia regeneratio analogica, & moralis per gratiam non respicit tanquam sibi consentaneam naturam Patris purè physice sumptam, sed ethicè, & moraliter acceptam, ut ex terminis patet, & satis docuit Apostolus ad Rom. 8. dicens: *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus; quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.*

128.

Ad secundam confirmationem dist. maj. est habere solum formalem convenientiam cum illo consentaneam participationi, conc. non consentaneam, nego maj. & distincta eodem modo min. neg. consequentiam. Hæc autem convenientia consentanea participationi non stat

in eo, quòd gratia sit physica natura Dei, aut radix definita: hoc enim esset chymæra, sed stat in eo, quòd sit participatio à nobis explicata naturæ divinæ ethicè sumptæ. Ad tertiam confirmationem dist. maj. esse indefectibilem, independentem, & Dei substantiam physice, & realiter, neg. analogicè, & assimilativè analogia gratiæ consentanea, conc. maj. & distincta pariter min. neg. conseq. Etenim SS. PP. nunquam dixerunt, neque rectè dicere poterunt, gratiam sanctificantem in nobis receptam, esse ipsum Deum. Quod certè damnatum est à Tridentino cit. num. 1. sed esse justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, quod perinde est, ac dicere, esse similitudinem substantiæ, aliarumque perfectionum divinarum in linea morali, ut satis explicat Tridentinum supra à nobis adductum. videantur Ripalda superius citatus, & Curiel quæst. 110. art. 3. dub. 1. Quòd autem gratiæ debeantur lumen, & visio beata, quæ representant Deum infinitum, satis non est, ut gratia dicatur participatio infinita; nam visio debita gratiæ non representat Deum infinitum modò infinito, & illimitatò, sed modò limitatò, & finitò. Sic actus naturalis, quo demonstramus dari Deum, non est infinitus, sed finitus, quia, licet attingat Deum infinitum, non attingit illum modò infinito, sed finitò.

Obijcies 2. Sanctitas, vel bonitas divina est attributum, & non constitutivum naturæ divinæ; ergo ex eo, quòd gratia iustificans sit participatio sanctitatis, vel bonitatis divinæ, non exinde erit participatio naturæ divinæ. Confirmatur. Secunda Trinitatis Persona non constituitur in ordine naturali Filii naturalis, ex eo, quòd sibi comunicetur fecunditas formalis spirationis activæ, aut fecunditas radicalis naturæ divinæ; ergo neque homo constituitur in ordine supernaturali filius Dei adoptivus habens jus ad hereditatem, atque adeò neque sanctus ex eo, quòd participet fecunditatem radicalem à nobis explicatam per participationem naturæ divinæ ethicè sumptæ. Respondeo distinguo ant. non est constitutivum divinæ naturæ physice acceptæ, omitto, moraliter sumptæ, neg. ant. & conseq. Sanctitas enim, & bonitas divina sunt de constitutivo naturæ divinæ ethicè sumptæ, ut constat ex dictis; licet non esset de constitutivo naturæ divinæ physice acceptæ. Dixi *omitto*, quia sanctitas, bonitas, atque omnia prædicata necessaria absoluta Dei sunt de physico, & metaphysico constitutivo essentiae divinæ, ut constat à num. 90. de Deo; ex quo ulterius assertio nostra roborari possit. Ad confirmationem datò, & non concessò antecedente, cujus falsitas constat ex Tractatu de Trinit. nego conseq. quia ad filiationem naturalem requiritur origo viventis à vivente à principio conjuncto in similitudinem naturæ, quæ, sicut supponitur in objectione, non constituitur ex formali, aut radicali spiratione activæ, exinde per illam haberi non poterit ra-



zio filij naturalis. At filiatio adoptiva non requirit talem originem, sed analogicam tantum convenientiam cum illa, stantem in legitima assumptione naturæ extraneæ in filium, quæ, cum fiat per gratiam sanctificantem, ut ex Scriptura, & Concilij adductis constat, exinde per illam habetur ratio filiationis adoptivæ.

130. **Objicies 3.** contra secundam assertionem. Si sanctitas quæ talis esset jus intrinsecum ad gloriam non conferret Deus justis adultis gloriam ut præmium, & coronam meritorum, sed purè ut hæreditatem debitam gratiæ; ergo sanctitas quæ talis non est jus intrinsecum ad gloriam. **Confirm.** Majus donum est gloria respectu hominis decedentis in gratia, quam perseverantia in gratia respectu hominis existentis in via; atqui gratia in via non est jus ad perseverantiam in via; ergo nec gratia extra viam erit jus ad gloriam. **Resp. neg. ant.**, quia, ut Deus conferat adultis decedentibus in gratia gloriam ut coronam, satis est, quod justis obtinuerint eam gratiam per sua merita, quæ, cum sit jus ad coronam illorum meritorum, reverà in radice & est præmium, & est corona contradistinctum à gloria, quæ confertur parvulis decedentibus in gratia, qui cum per merita personalia non obtinuerint gratiam, exinde non obtinent gloriam, ut coronam meritorum, sed ut puram hæreditatem. **Ad Confirm. dist. maj.** majus donum, id est magis indebitum **neg. id est,** magis satisfactum rationalis desiderij, **conc. maj.** & permissa **min. neg. conseq.** quia licet gloria sit magis satisfactiva rationalis desiderij, & debita gratiæ, quin gratiæ in via ejus perseverantia debeatur, nisi in illo sensu, in quo omnibus rebus permanentibus conservatio debetur; sic divitiæ minus donum sunt, quam exclusio peccati, neque exinde debentur gratiæ, quamvis ipsi debeatur exclusio peccati. Videatur Eximius Doctor libro 7. de Gratia cap. 4. num. 8.

131. **Objicies 4.** Prædestinatus etiam tempore, quo in via non habet gratiam, est admissus ad hæreditatem gloriæ, reprobis autem quamvis aliquando habeat gratiam, non est admissus ad gloriam, proindeque non habet jus ad gloriam; ergo si sanctitas consisteret in tali jure ad gloriam, peccator diceretur sanctus, & è converso qui gratiam haberet, diceretur peccator. **Resp. dist. ant.** quoad primam partem est admissus ad gloriam per jus, quod habet, quando non habet gratiam, **neg. per jus,** quod habebit, quando decedet in gratia, **conc.** Rursus **dist. alteram partem:** Non est admissus ad gloriam, neque habet jus ad illam pro tempore, pro quo habet gratiam, **neg. pro tempore,** pro quo decedet sine gratia, **conc. ant. & neg. conseq.** ratio est, quia cum gloria nunquam detur nisi homini decedenti in gratia, qui prædestinatur ad gloriam, eo ipso certè decedet in gratia; atque similiter, qui per voluntatem consequentem excluditur à gratia, decedit absque gratia. Cæterum pro tempore, pro quo ho-

mo habet gratiam, habet quoque jus ad gloriam, quod postea per peccatum amittit, & pro tempore, pro quo alter habet peccatum, exclusus est à gloria, ad quam postea acquirit jus, quando gratiam acquirit.

132. **Quamobrem gratia dicitur jus non ad hæreditatem,** eo quod homini habenti gratiam debetur gloria; unde non dicitur hæreditas eo in sensu, in quo definitur solet in humanis, scilicet et successio in universum jus, quod defunctus habuit. Ratio est, quia Deus, à quo justis per gratiam constituuntur hæredes, mori non potest, exinde hæc significatio, qua gloria dicitur hæreditas, longè abest ab illa ratione, cujus possessio aliqua in humanis hæreditas dicitur: in ista enim hæredis Dei institutione è converso contingit, ac in humanis, homines siquidem, nisi moriantur, non possident gloriæ hæreditatem, quam accipiunt à Deo vivente, & hæredis institutore. In humanis autem, ut hæres possideat hæreditatem, necesse est, ut testamenti institutor moriatur, & hæres vivat; conveniunt autem in hoc, quod mortuo testatore in humanis, non potest amplius testamentum revocari, & absoluto etiam termino viæ, & mortuo justo non potest Deus illum mittere in infernum, atque in æternum excludere ab hæreditate; ipsa quippe voluntas divina conservandi gratiam, qua homo denominatur justus, est voluntas non privandi illum gloriam in æternum; illa enim gratia constituit hominem amicum Dei; unde Deus volens hominem amicum, vult quantum est ex se, observare leges amicitiae, quas certè non observaret, si hominem justum in æternum mitteret in poenas inferni.

133. **Objicies 5.** Per jus ad hæreditatem non constituitur homo tam similis Deo, quam per suam naturam unus homo constituitur similis alteri homini; atqui similitudo unius hominis cum altero non fundat debitum amicitiae, neque jus ad redamationem, neque excludit negationem hæreditatis alterius, ut pater in Rege, qui non tenetur instituere rusticum in hæredem; ergo &c. **Resp. dist. maj.** non constituitur tam similis in ordine physico, **conc.** in ordine morali, & indebito, **neg. maj.** & concessa **min. neg. conseq.** Ratio est, quia sanctitas & jus ad gloriam non attinet ad ordinem homini debitum, neque in hoc sensu asserti similitudinem cum Deo, sed attinet ad ordinem indebitum homini, in quo per indebitam similitudinem ethicè sumptam manet similis Deo; Cum autem hujusmodi similitudo detur homini jus ad gloriam, quæ ipsi non debebatur, exinde cum hac similitudine manet homo hæres Dei; At similitudo fundata in natura inter unum, & alterum hominem non est indebita, sed debita homini, neque debitum istud trahit secum jus ad hæreditatem indebitam: esset enim manifesta implicantia quod ea similitudo esset jus indebitum, & esset similitudo debita; unde non provenit jus

ad

ad

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.



ad hæreditatem alterius ab hac majori, vel minori similitudine, sed ab ea, qua jus acquiritur ad alterius hæreditatem, quale acquiritur per filiationem naturalem, aut adoptivam, & per quamcunque formam sanctificantem, aut liberalem alterius justificationem; Cum autem possit dari similitudo purè physica his omnibus exclusis, ut patet non solum in uno homine respectu alterius, qui similitudinem habet in natura, sed etiam in illo plebeio, qui inter omnes homines non solum in natura, sed etiam in accidentibus similior esset Regi, exinde talis similitudo non est, quæ fundat jus ad hæreditatem.

### SECTIO III.

*An sit possibilis sanctitas, & pura condonatio extrinseca.*

134. **A**ssero 1. cum communi Theologorum contra Ariagam, & aliquos alios paucos Theologos: non est possibilis sanctitas extrinseca. Probatur 1. Sanctitas, ut constat ex Dionysio citat. num. 102. est interna animi mundities, qua subjectum est rite dispositum ad operandum, atque, ut ait Augustin. eodem loco citatus, natura, cum à suo conditore justificatur à deformi forma, formosam transformatur in formam: atqui interna animi mundities, & rectitudo ad bene operandum, tum etiam ea forma, qua homo coram Dei oculis formosus manet, sunt certè munera, quæ haberi non possunt per aliquid purè extrinsecum; ergo sanctitas nullo modo haberi potest per aliquid purè extrinsecum. Confirmatur 1. Non potest Deus per solam suam voluntatem de potentia absoluta reddere hominem album absque albedine; ergo neque potest de potentia absoluta per suam voluntatē extrinsecam reddere hominem sanctum absque forma sanctificante. Confirmatur 2. Munera formæ sanctificantis per Concilia, & Patres nobis nota non minùs proveniunt à forma intrinseca sanctitatis, quam dealbatio proveniat à forma intrinseca albedinis; ergo, sicut effectus dealbandi haberi non potest per puram formam extrinsecam, neque haberi poterit effectus sanctificandi.

135. Probatur 2. Forma sanctificans non solum confert jus ad gloriam, sed jus intrinsecum, ut constat à num. 118. atqui per solam voluntatem extrinsecam haberi non potest jus intrinsecum; ergo per solam voluntatem extrinsecam nullo modo potest haberi sanctitas. Confirmatur 1. Si posset per formam extrinsecam, sive per voluntatem Dei purè extrinsecam homo sanctificari, non minùs esset potens sanctificari infinitè, quàm finitè, nec minùs, quàm sanctificetur humanitas Christi Domini, quandoquidem voluntas divina, qua sanctificaretur, non esset minùs perfecta, & minùs potens, quàm unio hypostatica, & personalitas Verbi; proindeque posset dari purè creatura infinitè sancta, & tam sancta, ac sit humanitas Christi, unde

posset pura creatura satisfacere pro peccatis nostris lethalibus, nec ad hæc munera præstanda fuisset necessaria Incarnatio, contra id, quod Adversarij docent ex SS. PP. quos inter Leo Papa Sermon. 1. de Nativitat. *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium; & nisi esset homo verus, non praberet exemplum;* & Augustinus in Enchyrid. Cap. 8. *Neque per Jesum liberatur unum mediator Dei, & hominum, Jesus Christus, nisi esset Deus; ergo &c.*

Probatur 3. conclusio ex Tridentino sess. 6. Capit. 7. ubi loquendò de sanctitate, quæ est unica formalis causa nostræ justificationis ait: *Quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio,* quibus in verbis satis insinuat maximum, quod adest, discrimen inter puram remissionem peccati, & sanctificationem. Etenim homo in statu puræ naturæ productus cum decreto divino non communicandi illi donum ullum supernum, poterat peccare lethaliter, & Deus poterat illi peccatum remittere, quod non fieret per donum ullum intrinsecum supernaturale, ut ex præmissa hypothefi est evidens, insuper, cum nullum intrinsecum donum naturale possit esse remissivum peccati, solum posse in eo casu peccatum remitti per voluntatem Dei extrinsecam, quin per illam posset homo sanctificari; ad eum modum, quo in humanis potest homo per solam suam voluntatem extrinsecam remittere alteri peccatum ut contra ipsum commissum, quin per talem voluntatem extrinsecam possit alterum sanctificare; ergo, licet pura remissio peccati haberi possit per formam extrinsecam, non potest haberi sanctificatio per formam extrinsecam; ergo sanctitas purè extrinseca omnino repugnat. Confirmatur. Indubitabile est, Tridentinum agnovisse discrimen inter puram remissionem peccati, & sanctificationem, ut ex verbis adductis manifestè constat; atqui non potest rectius, & aptius discrimen illud assignari, nisi dicendò, puram remissionem peccati haberi posse per formam extrinsecam, secus autem sanctificationem; ergo &c. Exinde

Assero 2. Possibilis est condonatio peccati purè extrinseca. Probatur 1. Non minùs potens est voluntas divina ad remittenda peccata contra Deum commissa, quàm potens sit voluntas humana ad remittenda peccata commissa contra hominem; atqui homo, quin infundat aliquid intrinsecum, est potens per solam suam voluntatem extrinsecam remittere peccatum contra ipsum commissum; ergo &c. Confirmatur 1. Certum est, Deum posse cedere juri acquisito contra peccatorem propter peccatum, quandoquidem jus illud non est essentialiale, sed accidentale, atque de facto Deus cedit tali juri ratione gratiæ, qua non pure reguntur, sed verè remittuntur peccata, ut constat ex Tridentino adducto num. superiori, & num. 5. atqui ad cedendum juri accidentali factis est voluntas purè extrinseca; ergo &c. Confirmatur 2. ex doctrina Tridentini tradita in



superiori, ubi supponit discrimen inter puram remissionem, & sanctificationem, quod non potest aptius, quam in sensu nostro explicari, ut ibi diximus; ergo &c. Confirmatur 3. Peccatum habituale stat in iure accidentaliter non destructo, seu manente, & acquisito à Deo contra peccatorem propter peccatum; atqui per cessionem juris, quæ fieri potest per voluntatē extrinsecam, jus illud destruitur, seu non manet; ergo &c.

138. Respondent 1. Adversarij, non tenere paritatem ex condonatione humana ad divinam, quia ad condonationem, & remissionem peccati requiritur aliqua mutatio; cum autem Deus non possit mutari, necessarium est, quod homo offendens mutetur per infusionem gratiæ: homo autem jam mutatur, quando condonat injuriam, quia producit actum voluntatis, quo perficitur, & mutatur, & quo incipit amore benevolentiae diligere offensorem, simulque cedit juri per offensam acquisito contra peccatorem. Contrà 1. Licet homo propter suam imperfectionem velle non possit absque sui mutatione, Deus tamen ratione suæ infinitæ perfectionis velle potest absque sui mutatione; ergo, licet homo non possit absque sui mutatione peccatum remittere, potest tamen Deus. Contrà 2. Tota perfectio non continetur in actu, quo homo mutatur remittens peccatum: continetur autem in actu, quo Deus peccatum remittit absque imperfectione mutationis; ergo &c. Contrà 3. Deus absque sui mutatione modò diligit hominem existentem in gratia, quem existentem in peccato modò odit habuit; ergo etiam potest Deus absque sui mutatione cedere modò juri acquisito propter peccatum, cui autem non cedebat; atqui actus, quo Deus efficaciter cedit modò tali juri, sufficit, ut homo modò habeat hanc denominationem moralem, quam antea non habebat; sicut reverà habet denominationem amati, quam antea non habuit; ergo sola nova denominatio moralis sufficit ad denominationem extrinsecam, ut ex dictis patet; ergo &c.

139. Respondent alij 2. per condonationem humanam non mutari offendentem de malo in non malum, bene verò per condonationem divinam, ac proinde hanc præ illa requirere internam gratiam, per quam fiat mutatio. Contrà tamen 1. Denominatio illa non mali non minus, quam denominatio remissi, & condonati est moralis, & homini extrinseca, cum sit denominatio per voluntatem cedentem juri offensi: atqui denominatio moralis extrinseca potest esse, & abesse absque forma intrinseca, per quam intrinsecè mutetur ille, qui denominatur, ut patet in pariete, qui denominatur visus, & non visus, per formam extrinsecam ergo; &c. Contrà 2. Licet condonatio humana hominem mutet de inimico in non inimicum, potest tamen fieri absque forma ipsi mutaro intrinseca; ergo, licet condonatio divina mutet hominem de malo in non malum, optimè

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

fieri poterit absque forma homini intrinseca. Contrà 3. Sicut per offensam Deo illatam constituitur homo in genere morum Theologicè malus; ita per offensam Regi illatam constituitur in genere civili positivè malus; atqui per voluntatem extrinsecam Regis absque ullo dono intrinseco mutatur homo de positivè malo in positivè non malum; ergo per voluntatem Dei extrinsecam mutari potest etiam homo de Theologicè malo in Theologicè non malum; ergo &c.

Respondent alij 3. divinam condonationē non solum remittere pœnam, sed & culpā, proinde indigere donō intrinsecō; at condonationē meram humanam non remittere culpam, sed pœnam, proindeque ad talem condonationem sufficere voluntatem extrinsecam. Contrà 1. Homo non solum remittit pœnam, sed verè remittit, & tollit offensam, quatenus contra ipsum factam, licet illam non remittat quā factam contra caput naturæ rationalis, scilicet Deum. Sicuti, qui in Republica injustè occidit alterum, peccat contra vasallum occisum, & contra Regem, ita, ut qui gerunt causam occisi, possint remittere injuriam quā factam contra ipsos, non quā factam contra Regem. Rex autem potest per suam extrinsecam voluntatem remittere injuriam quā factam contra ipsum; ergo idem poterit Deus. Contrà 2. Amicitia non stat absque remissione offensæ; atqui homo, postquam cessit per suam voluntatem juri per offensam acquisito, fit alterius amicus, & redit ad pristinum statum amicitiae; ergo per suam voluntatem extrinsecam non solum remittit pœnam, sed & culpam, quā factam contra ipsum; ergo idem poterit Deus.

140. Prob. 2. conclusio. Virtute pœnitentiæ Sacramenti remittuntur venialia, quæ homo confitetur, & de quibus habet attritionem. Tridentinum enim sess. 14. Cap. 5. docet, venialia utiliter confiteri, quod ulus & praxis fidelium demonstrat; atqui non remittuntur per aliquam formam intrinsecam, sed per condonationem divinam purè extrinsecam; ergo possibilis est condonatio purè extrinseca. Probatur min. nulla datur forma intrinseca, per quam virtute Sacramenti pœnitentiæ deleantur venialia; talis quippe forma non est gratia habitualis accepta per Sacramentum; hæc enim manet in homine justificato, licet postea committat venialia, proindeque non opponitur cum venialibus; deinde neque remittuntur per attritionem, cum hæc præcedat Sacramentum, & componatur cum venialibus in homine attrito; aliter non remitterentur virtute Sacramenti: tandem conjunctum ex attritione, & gratia habituali collata per Sacramentum non est forma intrinseca incomponibilis cū venialibus; aliter, licet hæc sine libertate darentur, excluderent venialia, & homo, qui accipit gratiam per Sacramentum, non posset postea elicere attritionem, quin eo ipso remitterentur ipsi omnia venialia, neque posset veniale com-

Ppp 2

mit-



mittere, quin omitteret aut gratiam, aut attritionem, aut utrumque simul, quod dici non potest; ergo &c.

142. Respondent virtute Sacramenti Pœnitentiæ remitti venialia non quidem per solam gratiam habitualement nudè & entitativè sumptam, sed ut collatam virtute Sacramenti. Contrà 1. Gratia ut collata virtute Sacramenti non addit aliquid intrinsecum, sed solum extrinsecum supra entitatem gratiæ; addit enim denominationem desumptam à Sacramento moraliter operante, quæ efficientia moralis non est intrinseca, sed extrinseca entitati gratiæ; ergo venialia virtute Sacramenti pœnitentiæ non remittuntur per aliquid intrinsecum oppositum cum venialibus, sed per aliquid extrinsecum, quod unice stare potest in voluntate divina condonativa venialium. Contrà 2. Si ultra gratiam habitualement conferretur animæ aliquid intrinsecum virtute Sacramenti pœnitentiæ, ex quo & ex ipsa gratia constitueretur complexum gratiæ Sacramentalis constitutum, gratia Sacramentalis amitteretur per venialia, quandoquidem amitteretur illud complexum cum venialibus incomponibile; atqui gratia Sacramentalis per venialia, non amittitur; ergo &c.

143. Respondent alij 2. Gratiam ut collatam virtute Sacramenti superaddere actionem illius productivam impossibilem cum venialibus. Contrà 1. Actio productiva gratiæ non est perfectior, quàm gratia; ergo neque habet majorem oppositionem cum peccato, quàm ipsa gratia, illa equidem solum est modus productivus sanctitatis, proindeque solum habet oppositionem cum peccato ratione sanctitatis productæ; atqui sanctitas producta solum opponitur cum mortalibus, & non cum venialibus; ergo illa actio habet solum oppositionem cum mortalibus, & non cum venialibus. Contrà 2. Illa actio ratione sui non opponitur formaliter cum mortalibus, ut actio productiva albedinis formaliter ratione sui non dealbat; ergo neque debet asseri opposita cum venialibus. Contrà 3. Conservatio est continuata productio, proindeque actio conservativa & productiva censentur ejusdem generis; atqui actio conservativa gratiæ acceptæ per Sacramentum non opponitur cum venialibus; ergo neque actio illius gratiæ productiva.

144. Respondent alij 3. Gratiam collatam virtute Sacramenti constare gradibus heterogeneis ex se oppositis cum venialibus. Contrà 1. Nullus gradus gratiæ habitualis amittitur per venialia, proindeque non est oppositus venialibus. Sicut enim plura venialia non possunt constituere unum mortale, ita non possunt expellere unum gradum gratiæ habitualis; atqui si in virtute Sacramenti Pœnitentiæ reciperentur gradus gratiæ heterogenei incompossibiles cum venialibus, talis gradus gratiæ amitteretur per venialia; ergo &c. Contrà 2. Homo accedens ad Sacramentum Pœ-

nitentiæ cum solis mortalibus non recipit gratiam imperfectiorem, quàm alter, qui accedit cum iisdem mortalibus, & alijs venialibus. Atqui primus non recipit illos gradus heterogeneos incompossibiles cum venialibus, aliter per unum peccatum veniale, quod postea committeret, eos amitteret gradus gratiæ habitualis; ergo &c.

Assero 3. Objectum conditionis extrinsecæ aliud est per modum accessus, & aliud per modum recessus. Prob. 1. Decretum divinum condonativum per modum accessus respicit ipsum Deum, propter quem Deus vult omnia, quæ vult, ex illo proverb. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Rursus ipsum, cui condonat respicit per modum recessus à jure ad illam indignationem, atque per modum accessus ad aliqualem beneficentiam, quandoquidem ipsi bonum est, eo reatu carere, quare reatum illum respicit Deus ut objectum per modum recessus, sive consistit in peccato commisso, & carentia remissionis (ut ipse judico) aut in quovis alio: etenim quod reatus iste dissolvatur, & remittatur, atque moraliter destruat, est omnino certum, nam ita de facto contingit, quando vi gratiæ habitualis Deus peccatum remittit, quod certe non remittitur, dum reatus culpæ manet. Tandem ipsum decretum respicit se ipsum per modum accessus tanquam objectum inadæquatum, quandoquidem non utrumque vult, sed vult, quod per ipsum decretum remittatur peccatum; si enim veller, quod per aliam formam, vel per aliud decretum peccatum remitteretur, tale decretum jam non esset remissio, sed volitio remissionis. Unde ex necessitate habet se ipsum pro objecto inadæquato, in quo nulla est implicancia, ut patet in definitione definitionis, in cognitione cognitionum, quæ inadæquate habent se ipsas pro objecto ut dictum de auxili. atqui ex his manifestè constat, objectum divini decreti condonativi aliud esse per modum accessus, aliud per modum recessus; ergo &c.

Probatur 2. Inexplicabilis est tendentia decreti condonativi peccati, nisi Deus veller cedere juri, contra peccatorem acquisito propter peccatum, quod quidem jus stat in eo, quod peccatum sit commissum, & non remissum; proindeque stat in conjuncto ex peccato commissum & carentia remissionis; atqui Deus volens remissionem, expellit carentiam remissionis; ergo attingit jus illud per modum recessus, remissionem autem, quam vult constituere in ipso decreto, vult per modum accessus, sicut & ipsum Deum, propter quem vult, atque in suo genere ipsum peccatorem, quem vult condonatum. Modo sic. His positis datur totum objectum decreti condonativi, his autem ablatis non manet objectum ab eo decreto tactum; ergo hæc omnia sunt objectum decreti divini condonativi; atqui non attinguntur omnia per modum accessus, neque omnia per modum recessus, ut ex dictis constat; ergo &c.

Respondeo



147. Respondebis, non satis per hæc explicari ob-  
jectum decreti condonativi, quandoquidem  
potest decretum divinum habere se ipsum pro  
objecto inadæquato, atque insuper alia à no-  
bis assignata, quin sit condonativum. Contra  
tamen, licet possit decretum divinum, quin sit  
condonativum, hæc omnia attingere, volendò  
peccatum remitti, non quidem per ipsum de-  
cretum, sed per aliud distinctum; at non potest  
ea omnia velle, volendò per se ipsum remitte-  
re peccatum, quin sit decretum condonativum.  
Sic Princeps si decernat facere legem, qua ob-  
liget subditos, decretum illud non erit lex,  
sed volitio legis; at si velit per hoc suum de-  
cretum subditos stabiliter obligare, jam illud  
erit lex; quæ sanè est ratio, propter quam ac-  
tus constitutivus legis, actus constitutivus  
præcepti, voti, alique similes habent se ipsos  
pro objecto inadæquato, ut obligatio sunt,  
atque eodem modo actus condonativus habet  
se ipsum pro objecto inadæquato, ut remissio  
est; ergo per expositionem à nobis factam  
quam optimè explicatur objectum decreti con-  
donativi.

148. Contra 2. Actus non solum distinguitur ex  
diversitate objecti, sed etiam ex diverso modo  
tendendi in idem objectum, ut patet in appre-  
hensione, iudicio, & discursu circa eundem ho-  
minem, qui non distinguuntur ex diversitate  
objecti, sed ex diverso modo tendendi. Hic  
autem diversus modus tendendi non stat in ob-  
jecto, sed identificatur cum ipso actu, quam-  
quam enim à nobis sæpè non ita facile explicetur  
tendentia diversæ actus: at quando diver-  
sitates illæ exponuntur à nobis per similitudi-  
nem ad ea, quæ cognoscimus, experientia tunc  
nobis facile innescunt. Sic per experienti-  
am, qua scimus, quid sit per actum meum, in  
quo voveo, me obligare, & quid sit me nõ obli-  
gare per actum meum, quo non voveo, sed de-  
sidero postea vovere, ita facile cognosco tendē-  
tiam diversam actuum Superioris, quando dicit,  
me per suam voluntatē obligare, vel quando di-  
cit, se desiderare postea per suam voluntatē ob-  
ligare me; pariter ex eo, quod per experienti-  
am facile cognoscamus diversitatem inter actū,  
quo nolo remittere, licet proponam postea re-  
mittere, & inter actum, quo modò remitto; ex-  
inde constat nobis facile tendentia diversa in-  
ter actum, quo Deus non vult modò remittere  
peccatum, licet desideret remissionem, & actū,  
quo hic & nunc peccatum remittit, sed ex ip-  
sis facile explicatur objectum condonationis  
extrinsecæ; ergo &c.

## SECTIO IV.

### *Solvuntur opposita.*

149. Objicies 1. contra primam assertionem: po-  
test Deus per voluntatem purè extrinse-  
cam adoptare hominem in filium, eique dare  
jus ad gloriam, cum etiam homo, & Deus per

puram voluntatem extrinsecam mutuo possent  
promittere, & acceptare se ad invicem amore cha-  
ritatis diligere, in qua mutua promissione, &  
acceptatione consisteret jus ad redamationem, ac  
proinde vera amicitia; sed hæc satis sunt, ut per  
voluntatem Dei extrinsecam homo sanctificetur;  
ergo possibilis est sanctitas extrinseca.  
Confirmatur 1. Non minus est potens volun-  
tas divina ad constituendum filium adoptivum,  
hæredem, ac sui amicum, sibi que gratum,  
quam voluntas humana; atqui homo per suam  
voluntatem extrinsecam potest alium consti-  
tuere filium adoptivum, hæredem, amicum ut  
sibi gratum; ergo & Deus. Confirmatur 2.  
Denominatio sancti, filij adoptivi, hæredis,  
amici, & grati est denominatio modalis; sed  
denominatio modalis haberi potest per formā  
extrinsecam, ut patet in his concretis, visum,  
cognitum, amatum, & id genus alia.

Resp. neg. maj. quia filius, hæres, amicus,  
& aliæ hujusmodi denominationes requirunt  
inter patrem & filium, adoptantem, & adopta-  
tum, atque inter amicos aliquam naturæ pro-  
portionem consistentem in eo, quod amicus,  
& filius elicere possint ex natura sua actus, qui-  
bus paternus amor debeat, atque benevola a-  
mici correspondentia, quæ sanè est ratio, propter  
quam Aristoteles dixerat, amicitiam esse inter  
æquales, non cum æqualitate arithmetica, sed  
cum hac à nobis exposita æqualitate geome-  
trica; hæc autem æqualitas inter homines fun-  
datur in ipsa eorum natura, quæ ejusdem rati-  
onis est, ac proinde capaces sunt, ut adductæ  
denominationes procedant ex voluntate purè  
extrinseca, quin potius, ut censent aliqui, id  
quoque evenire potest inter hominem, & An-  
gelum, cum homo habeat cum natura angeli-  
ca hanc geometricam proportionem, quā pos-  
sit de condigno mereri amicabilem correspon-  
dentiam; at natura humana respectu Dei con-  
tra se habet, quandoquidem actus à pura na-  
tura elicit nullam prorsus habent conducenti-  
am ad hæreditatem paternam, ut dictum de  
auxiliis. Quapropter opus est, ut Dei naturā  
participet: natura autem intrinseca est, qua na-  
tura participata adsit fundamentum geometri-  
cæ Proportionis requisitum, ut homo denomi-  
nari possit Dei filius, hæres, & amicus. Unde  
quantum ad istas denominationes, nulla est pa-  
ritas inter Deum, & hominem.

Ad primam confirmationem dist. maj. non  
minus, & eodem modo, nego, non, minus &  
diversò modò, conc. maj. & concessa min. ne-  
go consequentiam. Ratio discriminis est, quia  
voluntas humana supponit in natura intrinsecā  
naturæ proportionem requisitam, ut denomi-  
nationes illæ superadveniant, & proinde super-  
advenire possunt per aliquod extrinsecum; at  
in natura humana respectu filiationis, & ami-  
citiae divinæ certissimè deficit hæc intrinseca  
naturæ proportio, ac proinde supplenda per  
gratiam intrinsecam, quæ interna est naturæ  
divinæ participatio, cum autem natura quæ na-



tura intrinseca sit, & intrinsecum quā tale suppleri non possit per extrinsecum; exinde sanctitas aliāque similes denominationes haberi nequeunt per voluntatem Dei extrinsecam; & certē hoc videtur satis insinuare Tridentinum sapientiā a nobis adductum, docens contra Hæreticos, non sanctificari hominē per sanctitatem Dei, & Christi illi imputatam, sed per donum ipsi intrinsecum, quo interior renovatur, & consors fit divinæ naturæ. Ad secundam dist. maj. est denominatio purē moralis, neg. maj. est moralis fundata in participatione intrinseca divinæ naturæ ethicē sumptæ, conc. maj. & dist. min. neg. conseq. Denominationes enim modales fundatæ in aliquo interno physico suppleri non possunt per aliquod purē extrinsecum. Sic mereri, quamvis sit modalis denominatio, non potest haberi per aliquod purē extrinsecum.

152. Obijcies 2. contra secundam conclusionem. Divus Thomas 1. 2. q. 113. a. 2. & in dist. 17. quæst. 1. art. 1. & quæst. 18. de veritat. a. 2. docet, non posse remitti culpam absque infusione gratiæ; ergo nequit dari condonatio purē extrinseca. Confirmatur 1. Ideo Schola nostra docet, unum & idem corpus posse de potentia absoluta esse circumscriptivē in pluribus locis, ut ex hoc melius defendi possit contra hujus temporis Hæreticos, Corpus Christi Domini in cælo, ac in Eucharistia; ergo similiter defendere debemus, non posse de potentia absoluta remissionem peccati fieri absque iustitia intrinseca, & inhaerente, cum probemus contra eosdem Hæreticos, peccata de facto remitti per iustitiam intrinsecam. Confirmatur 2. Gratiā, & peccatum opponuntur, sicut lux & tenebræ; ergo, sicut non possunt tolli tenebræ, quin ponatur lux, ita nequit tolli peccatum, quin infundatur gratia.

153. Respondeo dist. ant. non posse remitti absque infusione gratiæ, remissione restituyente hominem in pristinum statum hæreditatis gloriæ, à quo decessit, conc. remissione non ita restituyente, sed purē condonante peccatum, neg. ant. & conseq. Nam D. Thomas loquitur de ea remissione, quæ contradictoriē opponitur juri amisso per peccatum, ac proinde de ea, qua homo restituitur in statū sanctitatis, & juris ad gloriam, quoque, ut nos etiam cum Div. Thoma docemus, fieri non potest per puram voluntatem Dei extrinsecam. Ad primam confirmationem dato ant. neg. conseq. Ratio est, quia, dum Thomistæ dicunt, unum & idem corpus esse non posse in pluribus locis circumscriptivē, Hæreticus potest identitate rationis ita concludere; ergo Christus non est præsens in cælo, & in Eucharistia; quæstio enim ista est de potentia absoluta in antecedenti, & consequenti, nec magis consentanea corpori præsencia definitiva, quæ est in consequenti, quam circumscriptiva, quæ est in antecedenti. Quare, si non valet in antecedenti, cur valeat in consequenti?

154. In nostro autem casu non requiritur, quod

fieri possit in utroque casu de potentia absoluta, sed quomodo remittatur peccatum in hac providentia, & quomodo remitti potuisset in altera, quod cum non solum pendeat à sola potentia Dei, sed à voluntate sua libera, qua vult in hac providentia facere hoc, quod potest, & non aliud, quod potuisset, exinde nullum est argumentum ab una providentia ad alteram. Sic esset hoc argumentum ridiculū; in hac providentia condidit Deus hominem in statu elevationis & juris ad gloriam; ergo in alia providentia non potuit illum condere absque elevatione, & jure ad gloriam. Ad secundam confirmationem neg. ant. nam gratia & peccatum non opponuntur contradictoriē sicut lux & tenebræ, ut ex n. 52. Lux enim & tenebræ neque possunt simul esse, neque simul deficere, cum tenebræ nihil aliud sunt, quam carentia lucis. Unde Augustinus de Gen. ad lit. Cap. 5. *Non dicimus, Deum fecisse tenebras, quoniam species ipsas Deus facit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent.* At gratia & peccatum possunt simul deficere, ut posset evenire in statu puræ naturæ in homine non peccatore; quare non sunt contradictoria. Vide à num. 48.

Obijcies 3. Nequit dari mutatio modalis absque ulla physica mutatione: cum enim eis modale fundetur in physico, & ex eo quod per modalem resultantiam confurgat, ut tollatur, vel ponatur aliqua denominatio modalis, debet tolli, vel poni aliquod ens physicum; ergo non potest fieri mutatio modalis de malo in non malum absque aliqua mutatione physica; atqui talis mutatio physica non potest esse in Deo; ergo &c. Resp. cum Nominalibus dist. ant. absque physica mutatione extrinseca, conc. intrinseca, nego ant. & consequentiam. Quare min. & consequentia sumpta nullæ prius sunt. Explico distinctionem. Mutatio quippe modalis importat statum duo instantia, in quorum primo subjectū mutabile & perfectibile habet unam denominationem, in secundo habet aliam; cum autem ea instantia sunt extrinseca denominationi, & quando advenit secundum instans, jam præcessit primum, exinde, quando datur nova denominatio modalis, seu mutatio modalis, datur etiam mutatio physica extrinseca.

Hæc autem mutatio physica extrinseca nullatenus arguit gratiam, vel qualitatem intrinsecam conferentem novam denominationem modalem: sufficit enim ad talem denominationem voluntas purē extrinseca. Sic, licet Petrus in instanti A sit obligatus voto, posset Deus per solam suam voluntatem extrinsecam tollere à Petro illam voti obligationem, quin illi infunderet qualitatem aliquam intrinsecam voti relaxationem: licet enim requiratur cognitio Petri, quæ sciat sibi remissum esse votum, ut Petrus non habeat conscientiam erroneam, at non requiritur, ut tollatur in re obligatio: hæc enim per solam Dei voluntatem extrinsecam



secam auferretur. Sic etiam in humanis; si Pontifex universis fidelibus præcipiat jejunium per decem dies, & non amplius, decem illis diebus elapsis fieret in fidelibus moralis mutatio de obligatis in non obligatos absque physica intrinseca eorum mutatione per solam Pontificis voluntatem extrinsecam. Pariter, si Rex veller per integrum annum, & non amplius augere valorem monetæ, elapso anno fieret in moneta moralis variatio de majori in minorem valore absque aliqua intrinseca mutatione.

157. **Objic. 4.** Nequit remitti peccatum homini elevato ad gratiam, nisi reconcilietur cum Deo; sed nequit cum Deo reconciliari absque infusione gratiæ; ergo &c. Probat. min. Ille, qui ratione peccati adhuc punitur à Deo privatione gratiæ, non est reconciliatus cum Deo, ea quippe punitio, qua homo excluderetur in pœnam peccati ab amicitia, & hæreditate, esset effectus inimicitia; atqui homo elevatus ad gratiam non amittendam nisi per peccatum, post peccatum punitur privatione gratiæ, donec gratia ipsi restitueretur; ergo &c. Confirmatur. Si Deus posset remittere peccata per puram condonationem extrinsecam, ita ea de facto remitteret; etenim pro signo antecedenti ad collationem gratiæ habet Deus volitionem conferendi gratiam, & remittendi peccatum, proindeque ea volitio esset remissio; & condonatio peccati; sed hoc est contra Tridentinum; ergo &c.

158. **Respondeo dist. maj.** nisi reconcilietur cum Deo reconciliatione sufficiente ad afferendam amicitiam, & jus ad illam, conc. reconciliatione non sufficiente ad afferendam amicitiam, & jus ad illam, nego maj. & distincta min. nego conseq. Ad probationem dist. maj. qui punitur ex jure ad amicitiam, conc. secluso tali jure, neg. maj. & dist. min. neg. conseq. quia secluso tali jure, quamvis maneat aliquis reatus ad aliquam alteram pœnam, jam non manet peccatum; ut patet in Animabus purgatorii, in quibus, eo quod non maneat jus ad divinam amicitiam, non manet peccatum, quamvis maneat reatus ad aliquam pœnam, secluso omni jure ad amicitiam. Ad confirmationem neg. maj. Nam Deus de facto, quando vult remittere peccatum, non vult illud remittere per extrinsecam remissionem, sed vult remittere per gratiam intrinsecam; ac proinde illa volitio non vult per se ipsam, sed per gratiam remittere peccatum; unde non est condonatio peccati; volitio autem divina, de qua loquimur in assertione, veller per se ipsam peccatum remittere, atque adeo se ipsa esset remissio, & condonatio peccati.

159. **Objic. 5.** Nequit tolli meritum habituale per solam Dei voluntatem extrinsecam absque culpa hominis intrinseca; ergo neque demeritum, seu peccatum habituale per solam Dei voluntatem extrinsecam absque gratia Dei intrinseca. Respondeo retorqueo argumentum, meritum habituale nequit tolli, nisi per opera-

tionem pravam, & peccaminosam nobis liberam; ergo neque peccatum habituale, siue demeritum tolli poterit, nisi per gratiam nobis liberam. Respondeo 2. neg. consequentiam. Ratio autem discriminis est, quia ratione meriti acquirit homo jus condignitatis in actu primo adversus Deum; quare, ut tollatur, requiritur, quod homo cedat tali juri, ac proinde debet tolli per suam voluntatem; at per peccatum non acquirit jus adversus Deum homo, sed contra Deus acquirit jus adversus hominem, ac proinde, ut tollatur, non requiritur voluntas hominis, sed sufficit voluntas Dei; ex quo fit, non requiri formalem peccatoris retractationem, ut tollatur peccatum habituale, sed sufficere æquivalentem consistentem in ipsa condonatione; ut constet ex num. 58.

**Objic. 6.** contra tertiam. Aliquid respicit actus divinus, qui est remissio peccati volens se ipsum, quod non respicit alter actus, qui non est remissio peccati, & non vult se ipsum; sed inexplicabile est hoc, nisi sit gratia homini intrinseca; ergo omnino repugnat condonatio purè extrinseca. Confirmatur. Si esset possibilis condonatio Dei extrinseca, posset Deus condonare peccatum pro instanti, in quo committitur, sed hoc est impossibile; ergo etiam est impossibilis condonatio Dei extrinseca. Respondeo conc. maj. & nego min. quia ille actus, qui est condonatio, vult se ipsum, ut remissio peccati est, ultra alia objecta, quæ per modum accessus, & recessus respicit ex num. 145. & alter actus, qui non esset condonatio, licet posset etiam velle alia objecta à se ipso distincta, non posset se ipsum velle, ut remissio peccati est: cum autem hæc tendentia facile innotescat nobis similitudine desumpta ab experientia, ut ex num. 148. Exinde objectum actus condonativi facile explicatur.

160. **Quin potius hujusmodi explicatio tradenda est ab omnibus, velint, nolint, in omnibus actibus, qui, ut præstent suos effectus, volunt se ipsos.** Sic Princeps desiderans obligare subditos aliqua lege propter bonum Reipublicæ, ita, ut ille actus desiderij se ipsum attingat, sane per illum actum respiciet & subditos, & obligationem, atque bonum Reipublicæ, quæ sunt objecta attracta ab illo actu, qui est lex, & tamen actus ille desiderij non est lex ex eo, quod non velit per se ipsum, sed per alium obligare. Pariter igitur in nostro casu actus divinus volens se ipsum, qui nolit per se ipsum condonare peccatum, non erit condonatio peccati; bene verò ille, qui vult per se ipsum condonare, & condonat peccatum. Ad confirmationem nego maj. quia in instanti, in quo committitur offensa contra Deum, est contra legem, & voluntatem Dei prohibentis, ac proinde contra ipsius jus satis manifestum; unde repugnat, pro eo instanti detur voluntas cessiva illius juris; daretur enim, & non daretur jus offensi; quod ex ipsis terminis implicat. Ex dictis



162. **Fir 1.** Ens illud supernaturale, quod se ipso sit expulsum peccati & jus formale intrinsecum ad gloriam, non solum esse condonationem extrinsecam, sed esse quoque sanctitatem. Ratio est, quia habet omnia prædicata sanctitatis constitutiva ut ex num. 158. Quare formalis beatitudo cum se ipsa sit expulsa peccati, atque ipsum intrinsecum jus ad gloriam per identitatem, revera est forma sanctificans, ut latè docent Torres, Granadus, Becanus, Amicus, Oviedus, pluresque alij cum Ripalda disp. 69. sect. 2. De habitu luminis gloriæ, major est difficultas; nam nullum habemus solidum fundamentum ad decidendum, an sit se ipso incomponibile cum peccato, & jus formale ad gloriam, vel an sit effectus debitus gratiæ incomponibilis cum peccato, & afferentis jus ad gloriam, ad eum modum quo decretum divinum dandi gratiam, & gloriam non dicitur se ipso jus, sed exigentia juris ad gloriam; atque in hoc sensu explicant naturam luminis communiter Theologi videndi apud Ripaldam disp. ult. sect. 3. & apud Oviedum Controv. 3. de beat. pun. 6. Licet alij, quos ipse Ripalda refert, censeant lumen se ipso esse sanctitatem, quos etiam sequitur Caterinus c. 4. de justis. §. 3.

**Fir 2.** Decretum, quo Deus decerneret non dare homini viatori, qualitatem aliquam supernaturalem intrinsecam, & decerneret illi simul gloriam conferre, non exinde posse dici sanctitatem extrinsecam, cum sanctitas extrinseca ex PP. & CC. omnino repugnet. Quare tale decretum solum dici posset promissio beatitudinis, quæ sanctitas est, ut ex num. superiori, atque adeo in hoc sensu verè diceretur promissio sanctitatis, quo in casu ille homo non esset prius sanctus, quam beatus, sed simul sanctus & beatus, ad eum modum, quo Adam non fuit prius homo, quam sanctus, sed simul homo & sanctus, Pariter si illum hominem eligeret Deus in amicum, & cum eo faceret pactum de amicitia, quin infunderet illi qualitatem ullam supernaturalem, quæ esset participatio divinæ naturæ, ethice sumptæ requisita, ut subiectum aptum sit ad amicitiam, ex num. 150. Talis homo non maneret ex vi illius decreti constitutus amicus, sed solum haberet promissionem ad divinam amicitiam, qua saltem in cælo gauderet ornatus sanctitate & similitudine naturæ divinæ ad amicitiam requisita.



## DISPUTATIO V.

### RELIQUA AD GRATIAM HABITUALEM PERTINENTIA.

164. **P**ura inquiruntur in hac disputatione, cum de gratia considerata in ordine ad se, sive ad actionem, per quam producit; tum considerata in ordine ad habitus, & actus virtutum, atque in ordine ad terminum suæ intensionis tum intrinsecum, tum extrinsecum; rursus de ipsa considerata in ordine ad nos, sive ad cognitionem, quam possit habere justus de sua gratia; & tandem considerata in ordine ad constitutum, in quo reponenda est perseverantia, & confirmatio iustorum in gratia.

#### SECTIO I.

*An gratia creetur, concreetur vel educatur?*

165. **Q**uæstio non procedit de possibili, sed de facto, & de connaturali gratiæ productione. Prima sententia docet gratiam sanctificantem immediatè à Deo creari. Ita Alensis, Scotus, Bonavent. Durandus, Vega, Paludanus, Capreolus. Secunda defendit, gratiam habitualement non creari absolute, sed concreari ad connexionem hominis grati, seu iusti, ad eum modum, quo in sententia Thomistica intellectus & voluntas fiunt per concreationem, quæ, cum sint proprietates animæ rationalis, fiunt per eandem actionem, per quam ipsa produciuntur; ita Ferrariensis, & Coquetius. Tertia

propugnat illam verè & propriè educi, ita communiter Thomistæ tum etiam nostri, & alij plures externorum.

Affero cum tertia: gratia habitualis neque propriè creatur, neque concreatur, sed de potentia obediuntial animæ educitur. Probat. 1. Gratia habitualis, ut constat ex dictis, est qualitas accidentalis animæ inherens, sed qualitas accidentalis animæ inherens educitur de potentia animæ; ergo &c. Prob. min. gratia accidentalis animæ inherens non potest ex natura sua esse absque unione illa, quam habet cum anima; sed qualitas, quæ ex natura sua non potest esse absque unione, quam habet cum anima, educitur de potentia animæ; ergo &c. Probat. min. Ideo anima, rationalis quantumvis unita materiæ primæ, non educitur à materiæ primæ, quia potest naturaliter esse sine ea unione, quam habet cum materia. Imò, ut dixi in Philosophia,eductio est actio productiva termini habentis unionem cum subiecto, sine quo naturaliter esse non potest; & ideo forma leonina inheret materiæ primæ, ut educitur ex materiæ primæ, quia habet unionem cum materiæ primæ, sine qua naturaliter esse non potest; ergo ex eo, quod qualitas accidentalis iuncta animæ, ipsique inherens non potest naturaliter esse absque tali unione, quam habet cum anima, verè educitur ex potentia animæ. Probat.



167.

Probat 2. Subjectum inhaesionis, sustentationis, animae receptionis, ut constat ex Philosophia, distinguitur à subjecto adhaesionis in eo, quod subjectum inhaesionis, sustentationis, animae receptionis, est illud, ex quo educitur forma. Subjectum verò adhaesionis est illud, cui unitur forma, quae ex eo non educitur; atqui gratia habitualis unitur animae tanquam subjecto inhaesionis; ergo educitur ex anima. Probat. min. subjectum inhaesionis est illud, sine quo forma semel existens, naturaliter esse non potest; atqui gratia habitualis semel existens in anima nequit naturaliter esse absque anima; ergo. minor, & consequentia tenent: maj. pater: ideo enim anima rationalis pendet à materia tanquam à subjecto adhaesionis, quia naturaliter potest existere absque materia, cum qua unitur, & ideo forma leonina pendet à materia tanquam à subjecto inhaesionis, quia naturaliter existere nequit absque materia, cum qua unitur; ergo &c.

168.

Respondebis ex Durando, educationem stare in eo, quod forma producat dependenter à subjecto praesupposito; gratia autem non producat dependenter à praesupposito subjecto, cum producat à solo Deo, à quo solo infunditur animae, ideoque non educitur ex anima, sed à solo Deo creatur. Contrà 1. Produci dependenter à subjecto, nihil est aliud, quam produci, & uniri in subjecto, sine quo naturaliter esse non potest; subjectum enim non producit efficienter, neque ejus causalitas stat in hoc, quod tribuat perfectionem effectui, sed potius in eo, quod ab illo perficiatur, & augeatur, quod quidem praestatur à forma, quae inheret, & educitur media unione cum subjecto, sine quo naturaliter esse potest; atqui gratia habitualis quantumvis producat, & infundatur à solo Deo in anima, unitur nihilominus animae per unionem, sine qua naturaliter esse non potest; ergo educitur ex anima, ac proinde producit à Deo dependenter ab anima tanquam à praesupposito subjecto. Contrà 2. Si possibilis esset aliqua creatura principaliter productiva gratiae, non ideo exigeret gratiam ex natura sua aliter, quam de facto uniri subjecto; sed tunc educitur; ergo & nunc. Contrà 3. Quia alia dona superna educuntur, quamvis Deus solus sit causa productiva eorum; ergo etiam gratia.

169.

Probat 3. principaliter contra secundam sententiam. Ad hoc, ut aliquid concreetur juxta principia Adversariorum, necessarium est, ut producat ad productionem alterius, quod proprie creatur, sicut, ut aliquid congeneretur, requiritur juxta ipsorum principia, quod producat ad productionem alterius, quod proprie generatur; atqui, quando gratia producit, nihil proprie creatur, ad ejus creationem dicatur gratia concreari; ergo gratia non concreatur. Probat 4. min. quando producit gratia, homo non creatur quantum ad suam substantiam, neque quantum ad esse accidentale gratiae, quod habet formaliter à gratia cum i-

psa gratia, ut ex dictis constat; ergo &c. Confirmatur. Ideo apud Adversarios intellectus, & voluntas fiunt per concreationem, quia, cum sint proprietates animae, realiter fiunt per eandem actionem, per quam anima creatur; atqui gratia habitualis, cum non sit proprietas animae, sed accidens ipsi indebitum, non fit per eandem actionem, per quam anima creatur, sed per diversam, qua potentiae dicuntur creari à Deo ad creationem animae.

Probat 4. Ad homines nostra conclusio.

170.

Juxta Adversariorum principia inceptio, & desinitio rei sibi correspondent, ita, ut quod incipit per generationem, desinat per corruptionem, & econtra; & similiter, quod incipit per creationem, vel concreationem, desinat per annihilationem, & econtra; atqui gratia non potest ex natura rei desinere per annihilationem, sed per corruptionem; ergo ex natura rei gratia educitur, & non creatur, vel concreatur. Probat 5. min. Rem desinere per corruptionem, stat in eo, quod desinat esse ex eo, quod corrumpatur, vel destruat unio sui cum subjecto, sicut desinere per annihilationem stat in eo, quod non desinat esse ex defectu unionis sui cum objecto, sed praecise per sui destructionem; atqui gratia habitualis ex natura sua deficit deficiente unione sui cum subjecto; ergo non destruitur per annihilationem, sed per corruptionem. Confirmatur. Formam corrumpi, est deficere, quia deficiunt dispositiones in subjecto, à quibus dependeat unio, qua deficiente ex natura rei deficit forma, ut patet inductione per omnes formas, quae corrumpuntur; sed hoc est deficere, quia deficit unio sui cum subjecto; hoc autem convenit definitioni gratiae; ergo gratia desinit esse per corruptionem.

171.

Obijc. 1. Durand. Gratia habitualis, utpote radix omnium virtutum supernaturalium, est primum principium essendi in linea entium supernaturalium; ergo ex natura sua postulat creari. Probat 2. consequentia. Ideo materia prima postulat creari, quia est primum principium in linea entium materialium; si enim educeretur ex alio, non esset primum, sed supponeret aliud primum, ex quo educeretur; ergo, si gratia est primum principium in linea entium supernaturalium, non exigit educi ex alio. Probat 3. Quod petit educi, semper est posterius illo, ex quo educitur; sed ex eo, quod gratia sit primum principium in linea entium supernaturalium, nequit esse posterius alio priori; ergo non potest educi, ac proinde exigit creari.

172.

Resp. nego consequentiam. Ad probationem concessi antecedente nego consequentiam. Quia, licet gratia sit primum principium entium supernaturalium, quatenus est radix omnium virtutum supernaturalium, non est primum principium animae, sed posterior naturae respectu animae; ac proinde, licet non possit exigere educi ex aliqua illarum virtutum supernaturalium, potest exigere educi ex anima, si-

cui

C99

R. P. Gormaz. Theolog. Tom. I.



cui de facto ex ea educitur. Ad confirmationem conc. maj. dist. min. Nequit esse posterior illo, respectu cuius est primum principium, conc. respectu cuius non est primum principium, nego min. & consequentiam. Quia, cum non est primum principium respectu animæ, imò potius exigit produci in hærendo animæ, & sit posterior animæ, optimè potest exigere, & exigit educi ex anima.

173. **Objicies 2.** Si gratia educeretur de potentia animæ, non produceretur à solo Deo, nec esset donum à solo Deo divinitus infusum, sed dependeret etiam à creatura tanquam à causa materiali; sicut formæ educæ dependent; sed gratia à solo Deo dependet, & est donum, cuius causa est solus Deus; ergo gratia non potest ex natura sua educi de potentia animæ, sed creari: maj. est certa, inquit Durandus, tum, quia si gratia educeretur de potentia animæ, anima succurreret, sicut materia succurrit ad formas materiales, tum, quia educitum, & infusum sunt diversa; aliter forma ignis, quæ educitur, esset infusa; tum etiam, quia formæ, quæ educuntur ex materia, essent à solo Deo productæ, quod est falsum; ergo &c. Min. probat. ex Plalmo 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*; ergo natura nequit succurrere effectivè ad productionem gratiæ. Secundò, quia gratia est semen gloriæ, & vitæ æternæ, sed solus Deus est causa gloriæ, & vitæ æternæ; ergo etiam gratiæ.

174. **Respondeo** nego maj. & suppositum illi innixum. Supponit enim falsò, donum infusum non posse habere causam materiale; ut enim gratia sit donum infusum, far est, quòd sit donum Theologicè supernum à solo Deo effectivè productum in anima, quæ entitativè est naturalis, eique communicetur, quod jam habet gratia, quantumvis educatur ex anima, & ab ea tanquam à causa materiali dependeat; hoc autem non habent formæ materiales educæ, cum sint entitativè naturales, non verò Theologicè supernæ; ac proinde sunt educæ, & non infusæ, neque causa materialis succurrit effectivè dandò perfectionem effectui, sed subjectivè ab illo recipiendò perfectionem, quod non repugnat dono infuso; imò donum infusum magnam tribuit perfectionem illi, cui infunditur. Vide ergo, quàm falsa sit major, quam Durandus certam supponit, & quàm debiles rationes, quas pro illius certitudine affert. Ad probationem min. dico, solum Deum esse causam primariam effectivam gloriæ, & vitæ æternæ, seu visionis beatificæ, quod non excludit causam materiale, cum visio beatifica recipitur in intellectu tanquam in causa materiali; imò nunquam excludit causam secundam effectivam principalem, etiam in sensu ipsius Durandi, cum lumen sit causa effectiva principalis visionis. Unde Adversarius clarè ipsemet sibi Adversarius est.

175. **Objic. 3.** Illud habet esse per creationem, quod definit esse per annihilationem; sed gratia habitualis definit esse per annihilationem;

ergo &c. maj. patet. Quia illud solum, quod habet esse nullo præsupposito subiecto, oportet, quòd definat esse nullo remanente subiecto; at verò, dum adveniente peccato gratia definit esse, non mutatur in aliam rem, neque per se manet ex parte, nec transit in aliud subiectum, sed formaliter definit; ergo definit per annihilationem. Confirmatur. Strictè, non annihilatur, dum definit esse resolutivè in aliquid, quod est ultimum subiectum ad integritatem, rei, quæ definit, pertinens, ut patet in composito, quod resolvitur in materiam primam, quæ est de essentia, & integritate compositi; sed gratia definit non resolutivè in aliquid pertinens ad integritatem gratiæ; ergo &c.

**Respondeo** transeat maj. neg. min. ad probationem conc. ant. & neg. consequentiam. Quia ad corruptionem formæ non requiritur, ut forma muretur in aliam rem, neque quòd per se maneat, neque quòd muretur in aliud subiectum; sed solum quòd definat, eò quòd deficiat unio illius cum subiecto, quod jam convenit gratiæ. Sic, quando ignis exinguitur, æquè definit esse forma ignis per corruptionem, eò quòd deficiat ad defectum unionis sui cum subiecto, quin forma ignis muretur in aliam rem, aut per se maneat, aut transeat in aliud subiectum; hoc enim solum convenit corruptioni compositi, in quo dabatur subiectum comune formæ; aut saltem unio, ex qua generatur, & corrumpitur, tale autem subiectum commune non datur in sola entitate formæ. Unde

**Ad confirmationem** dist. maj. resolutione cadente denominativè supra totum compositum, conc. supra solam formam, vel solam unionem, neg. maj. & sic dist. min. neg. consequentiam. Quia ex eo, quòd destruitur forma antiqua, destruitur antiquum compositum; ex eo, quòd generetur forma nova, constituitur novum compositum; cum autem compositum novum habeat eandem materiam, quam habebat antiquum cadente illa denominatione supra totum, quàm optimè resolvitur in subiectum commune, quod est pars constitutiva generati, & erat pars constitutiva corrupti; at verò, cum forma non sit se sola natura, neque subiectum commune genito, & corrupto, denominatio prout cadens supra solam formam non resolvitur in subiectum ultimum.

**Objic. 4.** Illud, quod ex natura sua postulat educi de potentia subiecti in ipso virtualiter continetur; sed gratia sanctificans non continetur virtualiter in anima; ergo non postulat ex natura sua educi de potentia animæ. Consequentia tenet; & major patet, nam ideò formæ materiales accidentales non postulant educi de potentia animæ, nisi ex potentia materiæ; quia non continentur virtualiter in anima, sed in materia; tum, quia educi ex alio, idem est, ac venire ex alio, & cum venire ex alio supponat contineri in illo, educi gratiam ex anima, supponeret contineri in illa. Probatur igitur min. quia contineri aliquid virtualiter aliquo modo participat de



de illo, &c. & converso; sed anima utpote entitativè naturalis non participat de gratia, quæ est entitativè supernaturalis; ergo anima non potest continere virtualiter gratiam, neque gratia potest virtualiter contineri in anima. Confirmatur 1. Supernaturale excedit naturam; ergo nequit in ea contineri. Confirmatur 2. Si gratia contineretur in anima, esset aliquomodo ex anima; sicut forma ignis contenta, &educta ex ligno est aliquomodo ex ligno; sed gratia nequit esse ex anima; aliter gratia esset ex nobis, quod est Semipelagianum; ergo &c.

179. Resp. neg. maj. ad prob. neg. utramque partem antecedentis: formæ etenim materiales accidentales non educuntur ex materia, quia continentur in illa; aliter infinitæ formæ variæ continerentur in materia, cum possunt educi ex materia; ergo ex materia educi solum est produci & uniri illi per unionem, quæ destructa naturaliter esse non possunt, tum quia formæ accidentales materiales non possunt ex natura sua esse absque unione quam habent cum materia, & possunt esse, uti de facto existunt, absque unione cum anima, ideo educuntur ex materia & non ex anima; unde probationes & confirmationes adversariorum nullius sunt momenti, neque forma igniseducta in ligno est producta à ligno, sed solum est producta dependenter, ut dixi, à materia ligni, quod valde diversum est, ac esse ex ligno. Unde immerito infert Adversarius sententiam nostram Semipelagianam esse.

180. Obijcies 1. Anima nequit esse causa materialis gratiæ; ergo gratia nequit educi ex anima. Prob. ant. neque enim potest esse causa materialis principalis, neque obediensialis; ergo &c. antecedens quo ad primam partem patet, quia nihil naturale potest esse causa principalis efficiens entis supernaturalis; ergo nequit esse causa principalis materialis. Prob. jam quoad secundam partem. Causa obediensialis seu instrumentalis materialis debet habere causam principalem materiale adjuvantem & elevantem, sicut causa obediensialis efficiens habet concomitantem materiale principalem, cum sola anima gratiam recipiat, & non datur altera causa gratiam recipiens, ergo &c.

181. In solutione hujus argumenti divisi sunt DD. Scotistæ enim communiter judicant apud Ripaldam de ente supernaturali disp. 8. sect. 2. Virtutem animæ receptivam donorum supernaturalium esse adæquatè naturalem ex eo, quod ea sola, & non aliqua alia virtus recipiat supernaturaliter gratiam, subscribunt Conink, Wadingus, Henao & alij. Reliqui vero judicantesse virtutem obediensialem, quia licet sola anima recipiat, nequit reduci ad actum absque unione, & causalitate superna ab auctore supernaturali producta, quod sat est, ut ea virtus dicatur obediensialis, cum non possit reduci ad actum nisi supernaturaliter & obediendo principio efficienti superiori, quapropter

& P. Gormaz Theolog. Tom. I.

per totum dissidium est de voce; cæterum, ut eam penitus everamus,

182. Respondeo neg. ant. ad probationem dist. ant. quo ad primam partem, nequit esse causa materialis principalis, quatenus causa materialis principalis solum significat causam adæquatam receptivam, nego; quatenus significat causam, quæ absque causalitate & virtute superna reduci potest ad actum, conc. primam partem; & distincta eodem modo secundam, nego conseq. ad probationem primæ partis conc. ant. & neg. conseq. in sensu explicato, quia causa efficiens tribuit perfectionem effectui, causa verò materialis non tribuit, sed potius recipit ab effectu perfectionem, cum autem repugnet, quod res naturalis, utpote imperfectior, & valde inferior, tribuat adæquatè se sola perfectionem effectui supernaturali perfectiori, & valde superiori, & non repugnet, quod effectus illi tribuat perfectionem, ideo non repugnat quod in hoc sensu sit causa materialis principalis, licet repugnet, quod sit causa principalis efficiens effectus superni. Ad probationem secundæ partis neg. maj. in sensu explicato, quia ex causa efficiente ad materiale non tenet paritas, propter rationem datam, unde si explicent adversarij, quid intelligant nomine causæ materialis principalis, facile eis respondēbimus, quin illorū paritas nobis officiat.

183. Obijc. ult. ex Script. Psalm. 50. dicitur: *Cor mundum crea in me Deus.* Ephes. 2. *Creati in Christo JESU in operibus bonis,* & cap. 4. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est;* sed in his sermo est de creatione gratiæ, qua cor mundatur homo renovatur, & virtutum opera fiunt; ergo gratia creatur. Respondeo dist. min. de creatione metaphysica, & Theologicè sumpta, neg. in sensu morali, conc. min. & neg. conseq. quia ad creationem in sensu morali sufficit, quod gratia fiat ex nihilo, id est, non ex ullis meritis nostris, quod non excludit educationem metaphysicè & scholasticè sumptam, Sic D. Thomas 1. part. quæst. 110. art. 2 ad 3. Gratia dicitur creari ex eo, quod homo secundum ipsam creatur, id est, in novo esse constituitur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud Ephes. 2. *Creati in Christo JESU in operibus bonis.* Imò advertere debebant Adversarij, sæpe in Scriptura insinuari, gratiam educi, vel generari ut 1. Cor. 4. *In Christo JESU per Evangelium ego vos genui* & 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes.* Respondent alij secundo per ly *creari* intelligi in Scriptura quamlibet productionem à Deo, seu creativam, seu eductivam: cum Genes. 1. dicitur: *Creasse Deus hominem, creasse cate grandia &c.*

## SECTIO II.

*De influxu effectivo gratiæ in habitus & actus virtutum.*

184. Circa hoc etiā sunt diversæ sententiæ. Prima docet, gratiam habitualem physicè effecti-

Qqq 2

v6



vè producere habitus virtutum. Ita Granad. contrav. 8. tract. 8. disp. 3. Ripalda disp. 121. sect. 3. Oxea de fide disp. 9. sect. 1. quibus subscribunt aliqui Recentiores. Secunda sententia negat. Ita Suarez, Amicus, disp. 29. sect. 8. de Lugo disp. 16. de fide sect. 1. tum etiam Curiel, & communis DD. sententia apud Oviedo tract. 8. num. 3. neque procedit quæstio de possibili, sed de facto. nam de possibili, quare implicabit gratia productiva habituum, vel quare non potest ex natura sua habitus virtutum producere?

185. Affero cum secunda sententia. Gratia habitualis de facto non producit physicè effectivè habitus virtutum. Prob. quia quando nullum datur solidum fundamentum pro sententia opposita, standum est communi sententiæ; atqui pro sententia affirmante talem influxum, nullum datur solidum fundamentum, ut infra constabit; ergo standum pro communi sententia negante. Confirm. Non sunt multiplicanda principia physicè effectiva absque necessitate; sed non est necessitas quòd gratia habitualis sit principium physicè effectivum habituum virtutum infusarum; ergo &c.

186. Respondent Adversarij magnam esse necessitatem, cum gratia sit natura in ordine superno, habitusq; illius proprietates. Contra, Gratia non est rigorosè natura, sed quasi natura, nec habitus superni sunt rigorosè proprietates, sed quatenus debentur gratiæ, sunt quasi proprietates; ergo ex eo, quòd non sit rigorosè natura, non est necessitas tribuendi illi influxum physicè effectivum, qui tribuitur naturæ, quæ rigorosè est natura: ergo &c. min. & conseq. tenent; maj. prob. natura, quæ rigorosè in sensu Aristotelico est natura, verè producit, & recipit suas proprietates; sed gratia habitualis adhuc apud Adversarios non recipit habitus virtutum, cum isti in solis potentis recipiantur; ergo neque habitus virtutum sunt rigorosè proprietates, neque gratia est respectu illorum rigorosè natura, sed solum quasi natura; ergo &c.

187. Contra 2. Natura, quæ est rigorosè in sensu Aristotelico natura, denominatur à suis proprietatibus ex natura rerum aliquà merà denominatione; sic aqua denominatur frigida à frigidity & ignis denominatur à calore calidus; sed gratia nullà denominatione denominatur ex naturâ rei ab habitibus virtutum; ergo non est rigorosè natura respectu illorum habituum 3. Omnes proprietates, sine quibus non reperitur natura, quæ in sensu Aristotelico est rigorosè natura, producuntur à natura, cum hæc sit principium & causa motus & quietis, id est productionis & receptionis, qua propter Deum excluditur à ratione naturæ Aristotelicæ; sed non producuntur, à gratia omnes habitus, sine quibus non reperitur gratia; ergo gratia respectu illorum habituum non est in sensu Aristotelico rigorosè natura. prob. min. quando peccator fidelis & instructus habitu fidei ac-

quirat gratiam, gratia in illo homine non producit habitum fidei; atqui gratia nunquam reperitur sine habitu fidei, cum ipsi tam debeat habitus fidei, quàm debeantur habitus aliorum virtutum; ergo &c.

Natura quæ talis non est in sensu Aristotelico, sed in altiori ordine non producit suas proprietates, sed eas radicat, quatenus debent poni ad positionem naturæ juxta exigentiam naturæ; ergo ex eo, quòd gratia non sit natura in sensu Aristotelico, sed in alio altiori non producit habitus, sed eos radicat, quatenus juxta exigentiam gratiæ debent poni ad positionem gratiæ. Prob. ant. natura divina est verè natura, non quidem in sensu Aristotelico, sed in alio altiori & eminentiori; atqui non producit sua attributa, neque relationes, sed ea solum radicat; ergo &c. Imò exinde confirm. Gratia non est participatio naturæ philosophicæ, sed naturæ divinæ; atqui natura divina non producit suas proprietates; ergo neque gratia ex munere naturæ debet suas proprietates producere.

Resp. 2. Gratiâ participare munus non in ordine ad recipiendū, sed in ordine ad producendum, cum in rebus naturalibus idè dicimus, quâ producere frigiditatem, quia ad præsentiam aquæ experimur dari frigiditatem, & ita de reliquis; cum ergo scimus ad potentiam gratiæ dari habitus virtutum, fateri debemus produci à gratia tales habitus virtutum. Contra 1. Unio apud Adversarios est proprietas materiæ & formæ, & ad productionem materiæ & formæ experimur poni unionem; atqui ut ipsi adversarij cum reliquis fatentur, unio non producit à materia & forma; ergo illorum fundamentum nullum est. Contra 2. Ratio, propter quam juxta meliorem Philosophiam frigiditas producit ab aqua, est, quia ad positionem aquæ experimur poni frigiditatem, & non invenimus aliud agens naturale, à quo frigiditas producatur, si non producatur ab aqua; cum ergo principium sit, in Philosophia, in rebus naturalibus recurrendum non esse ad causam primam, quando dari potest recursus ad causam secundam, Philosophicum est tribuere aquæ influxum effectivum in frigiditatem; sed hæc ratio non militat in rebus supernis; ergo &c. Prob. min. si militaret hæc ratio in rebus supernis, Deus non aliter esset auctor rerum supernaturalium, ac esset auctor rerum naturalium; sed hoc manifestè est falsum, cum Deus non solum sit auctor, sed specialis auctor rerum supernaturalium; quapropter, ut philosophicum est, non recurrere in naturalibus ad causam primam, quando dari potest recursus ad causam secundam; ita Theologicum est, non recurrere ad causam secundam in supernaturalibus, quando absque ullo interveniente dari potest recursus ad causam primam, præcipit, si nobis constet infusum esse principium à Deo ad eos effectus producendos.

Contra 3. Solum scimus, dari ad præsentiam gratiæ



gratiæ habitus infusus, modò, quo scimus deberi gratiæ habitus infusus; sed scimus habitus infusus non deberi gratiæ itaquam naturæ philosophicæ, sed itaquam naturæ assimilatae naturæ divinæ; ergo non concedendi sunt gratiæ ad modum, quo conceduntur suæ proprietates naturæ philosophicæ, sed ad modum, quo suæ proprietates conceduntur naturæ divinæ; atqui naturæ divinæ non conceduntur proprietates productæ à natura divina; ergo neque gratiæ concedendæ sunt proprietates productæ à gratia. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Gratiæ concedi debet assimilatio naturæ divinæ, quæ principiis Theologicis non opponitur, sed quæ principiis iis conformatur; atqui, licet opponatur principiis Theologicis concedere gratiæ proprietates secum ipsa identificatas, uti conceduntur naturæ divinæ; cum gratia distinguatur realiter ab habitibus virtutum, ut ex dictis constat; non tamen opponitur, imò conforme est principiis Theologicis, admittere proprietates ipsi debitas, & non ab ipsa productas, ut ex dictis; ergo &c.

191. Probat. 2. ex Concilio Viennensi, virtutes omnes infunduntur cum gratia, quod etiam docet Tridentinum dicens: Justificationem fieri per infusionem gratiæ & donorum; ubi eodem modo videntur Concilia loqui de infusione, seu actione, qua à Deo pendunt virtutes; atqui gratia ita infusa à solo Deo producit; ergo & virtutes animæ infusæ à solo Deo producantur; ergo gratia non producit physicè effectivè virtutes infusas. Confirm. Principia physicè effectiva in linea supernaturali multiplicanda non sunt sine necessitate; atqui ad verificandas locutiones Conciliorum, & Theologorum nulla est necessitas tribuendi gratiæ virtutem physicè effectivam virtutū, ut ex dictis constat; ergo &c.

192. Affero 2. cum omnibus ferè Theologis circa secundam sectionis partem: gratia non producit physicè effectivè actus virtuosos. Probat. 1. Habitus gratiæ, ut constat ex Viennensi cit. num. superiori, contradistinguitur ab habitibus virtutum; atqui, si produceret physicè effectivè actus virtuosos, non contradistingueretur ab habitibus virtutum; ergo &c. Probat. min. Si habitus gratiæ physicè effectivè produceret actus virtuosos, esset virtus; ergo non contradistingueretur ab habitibus virtutum. Probat. consequentia. Habitus virtutis est ille, qui immediatè concurrat cum potentia ad actus virtuosos; sed si habitus gratiæ produceret physicè effectivè actus virtuosos, immediatè concurreret ad tales producendos cum potentia, cum non concurrat mediatè producendò physicè habitus, ergo &c.

193. Probat. 2. ex Divo Thoma quæst. 27. de Verita. art. 2. ad 7. ubi tenet, gratiam non esse propriè habitum; quia non immediatè ordinatur ad actum, sed ad esse. Unde Cajet. & Conradus ex Div. Thoma docent, gratiam esse habitum essendi, non operandi, quòd

solum tribuat esse supernaturale animæ, non operari, nisi radicaliter, eò quòd nullum est fundamentum ad tribuendum gratiæ immediatum influxum physicum in actus virtutum; ergo &c. Probat. ant. Si aliquid esset fundamentum, maximè, quia gratia recipitur in anima, & habitus in potentiis realiter ab anima distinctis, sicque debent admitti duo principia elevantia animam, & potentias, ut cum utroque physicè agant; sed hoc fundamentum falsum est, & nullum; ergo &c. Probat. min. quia potentia, ut suppono ex Philosophia, non distinguuntur realiter ab anima, tum, quia gratia, & habitus recipiuntur immediatè in anima, & potentiis. Deinde, ut habitus elevet potentiam, satis est, quòd compleat illius insufficientiam, simul cum ipsa effectivè concurrendò, ad quòd opus non est, quòd in ea recipiatur, sed quòd ei assistat, ut patet in omnipotentia extrinsecus applicata; sed ad hanc habitus assistentiam sufficit, quòd habitus & potentia in eadem anima recipiantur; ergo &c. Vide Ripaldam disputat. 34.

Habitus supernaturales se habent ad simpliciter posse, simulque cum potentiis constituunt principium physicè effectivum proportionatum actuum virtutum; ergo superflue adscribitur gratiæ principium physicè effectivum actuum virtutum. Probat. maj. ex eo, quòd cognitio supernaturalis sufficienter, & proportionatè elevet intellectum ad repræsentandum objectum voluntati, ut supernaturaliter amet, frustra requiritur nova cognitio ex parte intellectus, & altera ex parte animæ, licet intellectus realiter distinguatur ab anima, ut ipsi Adversarij fatentur; ergo ex eo, quòd habitus supernaturalis sufficienter, & proportionatè elevet potentiam ad agendum virtutum actus, frustra requireretur influxus physicus gratiæ ex parte animæ, & influxus habitus ex parte potentia, quamvis potentia realiter distinguatur ab anima; ergo ex eo, quòd potentia non distinguatur realiter ab anima, multò minus requiritur influxus ille physicus gratiæ.

195. Objic. 1. Ex eo, quòd videmus ad positionem gratiæ, poni habitus virtutum, habemus sufficiens fundamentum, ut tribuamus gratiæ virtutem physicè effectivam in habitus virtutum; ergo &c. Probat. ant. Si hoc enim non sufficeret, non haberemus fundamentum ad dicendum, habitus infusus physicè effectivè concurrere ad actus supernos, sed possemus ad solum Deum recurrere; atqui hoc apud omnes est falsum; ergo &c. Resp. neg. ant. ob rationem datam num. 189. ad probationem neg. ant. quia certum est, habitus infusus conferre potentiis ad hoc, ut illas de se impotentes, aut improporcionadas adjuvent ad producendos actus; cum autem habitus non possunt aliter adjuvare potentias, nisi cum illis physicè effectivè concurrendò, certum esse debet, habitus virtutum effectivè concurrere ad



suos actus; at verò gratia non datur animæ, ut producat habitus, sed ut eam sanctificet, & à peccato mundet, quod fieri potest, quin physice effectivè producat habitus, cum ille sit concursus formalis; iste verò effectivus.

196. **Obijc. 2.** In naturalibus anima simul cum potentiis concurret physice effectivè immediatè ad actus; ergo etiam in supernaturalibus gratia simul cum habitibus concurret etiam physice effectivè, & immediatè ad actus; ergo &c. **Confirm.** Gratia imitari debet, quantum fieri potest, naturam rationalem; ergo, sicut natura rationalis sive anima concurret physice immediatè cum suis potentiis; ita gratia cum suis habitibus, qui sunt quasi potentiæ. **Resp.** conc. ant. neg. conseq. quia anima identificatur cum potentiis; secus autem gratia cum habitibus. 2. quia anima vivit per actus potentiarum, ac proinde debet illos effectivè producere; gratia verò nec vivit, nec ullam recipit denominationem ab actibus virtutum; ac proinde ex hoc capite non debet illos effectivè producere. Ad confirmationem neg. ant. quia natura rationalis recipit suos actus, secus autem gratia; ac proinde gratia adhuc in sensu Adversariorum non debet imitari, quantum fieri potest, naturam rationalem; tum, quia natura rationalis est natura physica; secus autem gratia.

### SECTIO III.

#### *De intensione & extensione gratiæ.*

197. **D**ifficultas quæstionis est: An gratia possit ita augeri, ut fomitem peccati extinguat: fomes peccati est motus appetitus præveniens usum rationis, inclinans voluntatem in actum pravam; non est peccatum, sed effectus peccati originalis. Non est dubium Deum posse fomitem tollere non solum in ijs, qui peccatum originale non habuerunt, modo quo sublatus fuit in Christo Domino, & Virgine Matre, sed etiam in ijs, qui contraxerunt originale, cum post remissum originale posset Deus appetitum ita rationi subicere, ut nullus appetitus motus rationem præveniat.

198. **Resp.** Gratiā habitualement quantumvis intensam non posse fomitem extinguere. Adeo certa est nostra conclusio, ut Arriaga disp. 51. sect. 5. n. 35. Judicet oppositum esse hæreticum. **Prob. 1.** quia Hieronymus in Epistola ad Thesiphontem id tribuit Pelagianis, ut unam ex eorum hæresibus, & in Concil. Vien. id tribuitur Beguadis & Beguinis, ut refertur in Clementina ad nostrum de Hæreticis; ergo &c. **Prob. 2.** quia, ut experientia constat: plures viri sanctissimi clarissima virtutum opera exercentes, patiuntur ejusmodi motus; ergo non tolluntur per augmentum operum, vel gratiæ intensiorem. 3. Quia Paulus postquam ad altissimum sanctitatis gradum elevatus est, ejusmodi fomitem in semetipso experiebatur, ut Rom. 3. *Vide aliam legem in mem-*

*bris meis, & captivantem me in lege peccati;* ergo signum est, quod per virtutum opera, vel per augmentum gratiæ non extinguatur fomes peccati.

**Respondebis:** Prædictum Pauli testimonium intelligendum esse de peccatoribus, in quorum persona Apostolus loquitur. **Contra;** quia licet Augustinus & unus vel alter Pater locum illum ita intellexit in persona peccatoris. Non exinde excluditur, quod intelligatur in persona etiam ejusdem Pauli. Imò Augustinus lib. 1. *Retract.* c. 24. & lib. 2. c. 1. & ex professo l. 1. contra Epistolam Pelagij c. 10. & l. 6. contra Julian. c. 11. ubi pro se citat Nazianzenum, Hilarium, & Ambrosium, testimonium illud intellexit de homine justificato, & in gratia constituto; ergo &c. **Contra 2.** quia Hieronymus sensum à nobis datum clarissime probat Dialogo 2. contra Pelagium in princ. ubi rursus addit in affirmationem aliud testimonium ejusdem Apostoli ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum*, ex quibus Doctor maximus, sic infer; ecce Apostolus, omnes credentes, quod volunt implere, non possunt; ergo &c. Vide plura apud Arriag. citatum.

**Respondebis 2.** Augustinum lib. de Serm. Domini in monte ad illa verba Matth. 5. *Beati, Pacifici &c.* primum docere videtur. In pacificis omnia ordinata esse, nullumque adversus rationem esse motum rebellem, & in hac vita compleri sicut credimus completa esse in Apostolis. **Contra,** quia Augustinus ex eo non intendit omnem motum rebellem ab Apostolis excludere, ut ipse se explicat l. 1. *Retract.* c. 19. dicens, ita id accipiendum, non ut nullum omnino motum dicamus in Apostolis fuisse, sed non tales, quales in alijs, completamque ita esse pacem, prout in statu viæ compleri potest; ergo &c.

Secunda difficultas est. Quanta sit intensio gratiæ? Suppono 1. Gratiā habitualement in pueris per baptismum renatis, quo usque ad rationis usum perveniant, nec non in baptizatis perpetuò amentibus esse æqualis intensiōnis. Ratio est, quia respectu illorum nulla præcessit ad gratiā dispositio & virtus baptismi, cujus gratiā receperunt; ergo est eadem. Suppono 2. Dici non posse justos omnes habere æqualem gratiā in viā, & æqualem gratiā in patria, eo quod in viā omnia opera sunt æqualis meriti; ratio est, quod talis error damnatus est contra Jovinianum in Concilio Mediolanensi. Quapropter eadem ratione rejiciendi sunt Lutherani, qui eundem errorem postea excitarunt ducti alia ratione, quā judicabant justificationem non fieri per formam inhaerentem, sed per justiciam Christi nobis imputatam: rejiciuntur enim ex Tridentino, ut ex num. 1. alius etiam error de æqualitate meritorum clarè apparebit falsus, quando agemus infra de merito.

Suppono 3. cum omnibus Catholicis, gratiā habitualement inæqualem esse in justis secundum



cundum inæqualitatem dispositionis. Ratio est, quia ita declarat Concil. Mediolan. supra cit. Florent. in litteris unionis titulo de Sacramento Eucharistiæ, & Trid. sess. 6. c. 7. dicens de iustitia à nobis accepta, quam Spiritus Sanctus præstat singulis, pro ut vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Secundò. Quia id tenent PP. & communis fidelium sensus. Tertiò. Quia gloria futura est inæqualis: ait enim Apostolus 1. Cor. 15. *Beatos in gloria futuros esse ita diversos, sicut stella à stella differunt in claritate.* atqui gratia est semen gloriæ, & gloria conferitur ad mensuram gratiæ; ergo gratia etiam est inæqualis. Quartò. Quia gratia augetur per Sacramenta & bona opera; sed in his plures iusti se exercent inæqualiter; ergo &c.

205. Suppono 4. cum omnibus Theologis iustos pervenire non posse ad statum sanctitatis, quem excedere nequeant, & in quo ita constituantur, ut non teneantur deinceps ad præcepta: ratio est, quia ita definitur in Concilio Viennensi, contra Begardos & Bechinos, ut habetur in Clement. *ad nostrum de hereticis*; ubi etiam statuitur, per bona opera iusti augeri gratiam, & gloriam; tum etiam in Tridentino sess. 6. cap. 10. ubi absque ulla mensura termini definitur observandò mandata per bona opera, iustum crescere in iustitia per Christi gratiam acceptam, & magis iustificari; tum etiam in Moguntino cap. 6. desinente, charitatem bonis operibus gravidam esse, & quotidiana facere incrementa iustitiæ.

204. Secundò. Quia ex Scripturis hortantibus ad maiorem in sanctitate progressum, nullum in hac vita terminum designantibus, constat etiam nostra conclusio. Item Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem iustificari.* Proverb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Apocal. ult. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Tertiò, quia ita testantur omnes PP. ut videri potest apud Ripald. disp. 129. sess. 7. Quartò, quia in quocunque statu, tamen sanctus constitutus homo, potest semper ulterius virtutum opera exercere, & Sacramenta suscipere; atqui ex lege Dei Sacramentorum susceptioni, & virtutum operibus promissum est gratiæ augmentum; ergo, cum in quolibet vitæ statu constituatur iustus, potest Sacramenta suscipere, & bona opera elicere, nunquam perveniet ad statum, in quo non possit ulterius usque ad mortem gratiam intendere. His positis

205. Controversia præsens est, an gratia habeat terminum intrinsecum, vel extrinsecum suæ intensionis? Ripald. cit. disp. 129. & plures cum ipso iudicant, gratiam non habere in sua intensione terminum intrinsecum. Ratio est, quia terminus intrinsecus est ille, ad quem res potest pervenire, sed non potest illam excedere; atqui, ut ex dictis constat, nullus est terminus intensionis gratiæ in via, ad quem homo potest pervenire, & quem non potest excedere; ergo

&c. Addunt autem Authores, gratiam habere terminum extrinsecum suæ intensionis. Ratio est, quia terminus extrinsecus est ille, ad quem res nequit pervenire, quantumvis crescat; sed talis est respectu iustorum gratia Christi, & Beat. Mariæ Virginis; ergo &c.

Plures verò Recentiores iudicant, ex termino extrinsecum inferendum fore etiam intrinsecum. Ratio est, quia suppositò terminò intensionis gratiæ extrinsecum v. g. centi graduum, vel poterit iustus ad nonagesimum novum pervenire, vel non? si potest; ergo nonagesimus nonus gradus est terminus intrinsecus, ad quem potest iustus pervenire, & non ultra; si non? descendamus ad alium, & alium gradum inferiorem, quoadusque concedatur terminus extrinsecus; ergo ex termino extrinsecum semper inferitur intrinsecus; cæterum utraque sententia facile conciliari potest, si dicamus, unam loqui absolute, alteram sub conditione. Quare

207. Resp. ipse absolute, & pro signo antecedenti ad omnem usum libertatis, determinationem vitæ, & præparationem auxiliorum, gratiam habitalem habere terminum extrinsecum intensionis, secus autem intrinsecum; consequenter verò ad determinationem vitæ, præparationem auxiliorum, & usum libertatis habere terminum intensionis extrinsecum, & intrinsecum. Probat. prima pars. Terminus extrinsecus est ille, quem res potest attingere, & ultra non potest procedere; sed antecedenter ad usum libertatis nequit iustus pervenire ad ponendam intensionem gratiæ infinitam maximam in actu; deinde nullus est assignabilis gratiæ habitualis terminus, supra quam non potest iustus progredi; ergo absolute, & antecedenter nullus erit terminus intrinsecus, & intentio infinita maxima erit terminus extrinsecus.

208. Probat. 2. pars: ex viribus arbitrij, auxiliorum numero & tempore vitæ cognoscit Deus, quor. virtutum opera potest iustus efficere, & quantam intensionem gratiæ acquirere, quo præcognito dedit Christo Domino, & Virgini Matri maiorem intensionem gratiæ supra omnem, quam habuerunt simul omnes iusti; ergo gratia Christi Domini & Virginis Matris, est terminus extrinsecus intensionis gratiæ iustorum; deinde, cum Deus cognoscit, ad quem terminum gratiæ perveniet quicunque iustus, & supra quem non ultra procedet, ille est terminus gratiæ intrinsecus; ergo consequenter datur terminus gratiæ iustorum intrinsecus, & extrinsecus.

209. Quærit hic aliqui, quando gratia possit amitti? cæterum, cum in hoc apud Catholicos nulla est controversia, sed solum inter Hæreticos, potius hic supponenda est, quam in controversiam deducenda veritas Catholica. Quare suppono primò, gratiam semel habitam posse per peccatum mortale amitti; ratio est, quod ita definitum est in Tridentino sess. 6. Can. 23. plurimisque exemplis Scripturarum,

cum



rum malorum Angelorum, primorum parentum compertum est, tum, quia iustus, cum sit liber, ad observanda præcepta, potest ea transgredi, & lethali peccare; sed per lethale amittitur gratia; ergo &c.

210. Suppono 2. ita posse gratiam amitti, ut non amplius recipiatur; ratio est, quia ita definit Tridentinum cit. & constat ex pluribus testimoniis Scripturarum, & PP. in quibus iusti exhortantur, ut cum tremore, & timore operentur; ne reprobi fiant, quod & Paulus satis indicat, dicens: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne, cum aliis predicavero, ipse reprobos efficiar*; atqui reprobum fieri, est decedere, quin obrineatur gratia deperdita; ergo &c. Quæ contra hanc veritatem Hæretici obijciunt, facile solvuntur. Vide Arriag. disp. 5. sect. 6.

#### SECTIO IV.

*Qualem cognitionem possit iustus habere in via de sua gratia?*

211. **N**ON quæritur de præsentī, an possit aliquis habere cognitionem naturalem, certam, & evidentem de gratia habituali: cognitio enim certa, & evidens de gratia habituali cum ea convertitur; at non spectat ad hunc Tractatum de Ente superno, quærere, an cognitio naturalis possit converti cum ente superno? solumque quæratur, quanta certitudine possit quis esse certus de sua gratia, & justificatione citra divinam revelationem? dico citra divinam revelationem; nam aliquos Sanctos certos fuisse certitudine fidei de sua gratia, & justificatione, nec non de sua prædestinatione ex singulari privilegio Dei illis hoc revelantis, ut certum supponimus.

Singularis fuit in proposita controversia Catherinus Opusc. de certit. gratiæ, docuit enim posse iustum certum esse certitudine fidei de sua gratia & justificatione: Hæc opinio convenit cum errore hæreticorum, in eo quod admittat certitudinem fidei de nostra justificatione; distinguitur autem ab illo, quia Catharin. negat hanc fidem necessariam esse vel sufficientem ad justificationem, tum etiam quia hæretici dicunt fidem de propria justificatione, immediatè inniti divinæ revelationi; Catharin. verò negat eam immediatè inniti in divina revelatione, sed tantum mediatè, quatenus inferitur ex una propositione fidei, & alia naturaliter evidenti. Istam Catharini opinionem esse non solum temerariam, sed & errori proximam docet Montefinos hic disp. 32. quæst. 5. 6. 5. eamque à pluribus censi erroneam testatur Arriaga disp. 34. n. 15.

213. Rejiciunt & meritò omnes Theologi hanc opinionem ex Script. Job. 9. *Etiā si simplex fuero, hoc ipsum ignoravit anima mea.* Prov. 2. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus*

*sum à peccato.* Eccles. 9. *Sunt iusti atque sancti, & opera eorum in manu Dei, & nemo nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta.* 1. Cor. 4. *Nihil mihi quidem conscius, sed non in hoc justificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est, itaque nolite ante tempus iudicare.* In quibus & pluribus alijs Scripturæ locis clarissimè docetur, neminem quantumvis sanctum posse esse certum de sua justificatione. Videatur Bellarminus lib. 3. de iustific. & Bontenigus hic disp. 2. quæst. 7. ubi innuuntur quamplurima PP. testimonia, ex quibus manifestè reprobatur opinio Catherini.

Rejiciunt 2. Auctoritate Tridentini sess. 6. c. 9. dicentis. Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi meritis, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum; neque ad rem est quod Catharin. dicit, Concilium loqui de fide universali ac Catholica; Concilium enim negat generaliter & absolute haberi posse de propria justificatione certitudinem fidei, cui falsum subesse non potest, sed non solum fidei universali sed etiam particulari falsum subesse non potest; ergo non solum excludit fidem universalem, sed etiam particularem.

Rejiciunt 3. ex doctrina Universitatis Lovaniens. & Parisiens. quibus apud cit. Bellarm. doctrina Catherini reprobatur, tum etiam ex verbis Innoc. III. temeritatis notā inurentis Episcopum Dinantinum jurantem se immunem esse à quibusdam criminibus, quæ pertraxerat, quia jam per gratiam erant ipsi dimissa. En Pontificis verba præsumimus, quod volebat sub ea forma jurare, videlicet quod immunis erat ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus, tanquam dimissis per penitentiam, jam esset immunis ab illis; sed hoc jurare non parvæ temeritatis argueret, cum textus Job dicat: *Etiā si simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea*: modo sic. Ideo Pontifex centura temeritatis inurit jurantem se immunem esse à crimine commisso, quia de hoc nemo potest habere certitudinem; ergo &c.

Rejiciunt 4. Destruendo Catharini fundamentum in hunc modum. Si potest aliquis esse certus certitudine fidei de propria justificatione maximè, quia habere posset unam cognitionem fidei Catholicæ, quæ credat Deum justificare verè penitentes, & aliam cognitionem evidentem, quæ cognoscat certò veram se egisse penitentiam; ex quibus inferret certitia cognitio certa de propria justificatione; sed nemo potest evidenter cognoscere se veram egisse penitentiam; ergo neque potest esse cer-



tus de propria justificatione. maj. est fundamentum Catherini; min. prob. quia actus, quibus justificamur, sunt supernaturales, sed non possumus certitudine naturali evidenter cognoscere actus supernaturales; ergo &c. Confirm. 1. Auctoritate Scripturæ supra cit. in quibus universaliter excluditur quævis absoluta certitudo de propria justificatione; ergo &c. 2. quia, si quis id certè & evidenter cognosceret, posset id absque ulla temeritatis nota jurare contra definitionem Innocent. cit. ergo &c. Ex dictis

217. Fit, quòd juxta aliquorum principia docentium, una præmissa fidei, & altera probabili inferri possit conclusionem supernaturalem Theologicam; ac proinde certam in se, non tamen inferri certam quoad nos. Quapropter, licet fortè posset elici conclusio in se certa de propria justificatione ex una præmissa fidei, & altera probabili, cum tamen illa non esset certa quoad nos, semper deberemus esse cum timore, & tremore de nostra salute; supposito ergo, quòd non possit dari quoad nos neque certitudo Theologica de nostra salute: quærimus infra certitudinem fidei, & Theologicam, quàm certa possit esse alicui propria justificatio?

218. Sotus in Apologia contra Catherinum docet, posse justum tanta certitudine judicare, se esse in gratia, quantà judicat dari Romam; citari solet etiam pro hac sententia Vega lib. 9. cap. 46. Cæterum, ut bene notavit Amicus, Vega solum dicit posse justos aliquos absque actuali hæsitacione judicare, se consecuturos esse gratiam, & remissionem, peccatorum; qui modus dicendi potest aliquem verum sensum habere, ut infra constabit; rejiciunt, & merito, omnes Theologi hanc Soti opinionem, quia tanta est existentia Romæ, ut nullus sit dubitandi locus: tot enim testimonia digna fide per tot sæcula, voce & scripto existentiam Romæ attestantia, talem pariunt certitudinem, ut plures merito appellent eam quasi physicam, cum sit quasi physice impossibile, tot homines in unum aliquod conspirasse mendacium, quin esset, qui contradiceret, & veritatem revelaret; sed simile fundamentum non datur respectu nostræ justificationis, de qua quivis prudenter timere potest, si attendat ad propriam infirmitatem, & indispositionem, ut ait Tridentinum, partim cum illa pendeat ab actibus nostris supernaturalibus nobis occultis; ergo non potest quis judicare se esse justificatum tanta certitudine, quanta judicat Romam existere.

219. Inferitur ex dictis, quòd si quis attendat ad propriam infirmitatem, & indispositionem posse prudenter timere, & formidare, de propria justificatione, ut expresse definit Tridentinū, ac proinde non habere certitudinem talem timorem certitudinem excludendi. Inferitur 2. Contingere posse, aliquem judicare se esse justificatum, quin habeat actualem timorem,

R. P. Germaz Theolog. Tom. 1.

vel formidinem, si non attendat ad propriam infirmitatem, & indispositionem, ex qua attentione sequitur timor, & formido; cogitare autem absque ea attentione contingere potest, vel ex inadvertentia, oblivione propriæ infirmitatis, & indispositionis, vel ex vero, quòd per Dei auxilium, & speciale privilegium ita repleatur quis charitate, ut tollatur omnis formido, & hæsitatio; ut contingit in aliquibus Sanctis, qui de sua gratia non erant anxij, & solliciti, sed habebant magnam tranquillitatem, juxta illud Joannis 14. *Timor non est in charitate, si est perfecta, charitas foras mittit timorem.*

Inferitur 3. Quid sentiendum sit de Vegæ opinione: si enim contendat, posse dari talem cognitionem certam de propria justificatione, & salute, ut non possit cum ea componi timor, & formido, incidit in sententiam Soti; ac proinde eodem modo est rejiciendus; si autem solum velit, dari in aliquibus justis cognitionem de justificatione propria; cum qua, licet possit esse timor, vel formido, de facto tamen per accidens non est, verum dicit. Inferitur 4. Quomodo sint intelligenda aliqua Scripturæ, & PP. testimonia, in quibus judicari videtur, posse nos habere securitatem de propria justificatione, illa enim intelligenda sunt de cognitione, quam per accidens non comitatur timor, vel formido, non verò de cognitione essentialiter excludente formidinem, & timorem.

Quærant hic aliqui, quantam certitudinem possit quis habere de sua fide, Bonavent. & alij, quos citat, & sequitur Bontempus hic disp. 2. quæst. 18. admittunt, posse haberi certitudinem Theologicam de propria fide. Communis Theologorum sententia negat; Ego autem judico, consequenter ad dicta n. 217. certitudinem quoad nos supernam, & Theologicam haberi non posse, cum nos discurre non possimus, quinam actus sint naturales, & quinam superni ex his, quos elicimus. deinde neque naturalem, cum nullum sit motivum quoad nos, ex quo evidenter naturaliter cognoscimus nos esse in gratia; ergo quoad nos modò, quo exagitur à Theologis controversia, neque dari potest certitudo superna Theologica, neque certitudo naturalis, qua sciamus, nos esse in gratia; quænam autem certitudo in se dare possit, decidendum est.

## SECTION IV.

### De perseverantia, & confirmatione Justorum.

222. Perseverantia latè sumpta significat quamcunque gratiæ denominationem, in quo statu reprobj etiam inveniri possunt perseverantes in gratia, cum per aliquod tempus habent gratiam. Perseverantia verò strictè sum-

Rit

pra



pra, ut sumitur in praesenti, significat conservationem gratiae usque ad mortem, quae solum convenit praedestinis, & non reprobis, & dicitur perseverantia finalis; distinguitur a potentia perseverandi, quae dicit auxilia ad servanda mandata, & non peccandum lethaliter, quae auxilia conceduntur generaliter omnibus, ac proinde etiam reprobi habent potentiam perseverandi generaliter; actualis vero perseverantia dicitur speciale privilegium, quod Deus concedit iis, quibus per decretum praedestinationis vult efficaciter gloriam.

223. Queritur modò, an perseverantia finalis semper, & in omnibus sit speciale beneficium gratiae, & singulare Dei privilegium; pro responsione suppono 1. perseverantiam finalem posse sumi dupliciter, 1. essentialiter, 2. accidentaliter: perseverantia finalis essentialiter sumpta dicit existentiam gratiae in ultimo instanti vitae, & praescindit ab eo, quod per plurima alia instantia praexistit. Unde, si quis in instanti A justificaretur, & in instanti B conservata gratia moreretur, verè esset praedestinatus, & finaliter perseveraret. Perseverantia vero finalis accidentaliter sumpta dicit praexistentiam gratiae aliquo tempore continuo usque ad mortem, quo pacto regulariter conjungitur perseverantia finalis, idque ipsum indicat nomen perseverantiae finalis, quo utuntur Concil. Patres, & Theologi. His positis,

224. Resp. perseverantiam finalem, sive essentialiter, sive accidentaliter sumptam tam in parvulis, quam in adultis dicere specialem Dei beneficentiam, & singulare privilegium. Probat 1. ex Tridentino sess. 6. Can. 22. *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, Anathema sit.* Et Canon. 16. *Magnum illud usque in finem perseverantiae donum; ergo ex Conciliis & Patribus semper tribuitur perseverantiae donum speciali Dei providentiae. Ratio Theologica est, quia vel iustus habet magnam pugnam tentationum, à quibus victor evadit, vel à tentationibus liberatur, & sic conservat gratiam; sed utrum sit, semper certum est, esse specialem beneficentiam, & donum Dei; ergo &c.* Tum etiam, si homo moriatur post justificationem, priusquam habeat occasionem peccandi, etiam est verum, eam perseverantiam esse ex singulari Dei beneficentia, & privilegio, quo curavit illius salutem ante mortem, vel mortem intulerit, antequam peccatum commiserit.

225. Præterea, si infans post susceptum Baptismum moriatur ante usum rationis, etiam est speciale Dei beneficium, illum è vita rapere, ne malitia mutaret intellectum, & ita condemnaretur; & ita ob eandem rationem, si quis post acceptam gratiam incidat in amentiam perpetuam, ut ita non possit peccare, & gratiam amittere, singulare Dei beneficium est;

ergo quocunque modo contingat perseverantia finalis, sive essentialiter, sive accidentaliter, sive in parvulis, sive in adultis dicit speciale Dei beneficium, & singulare Dei privilegium.

Circa secundam sectionis partem suppono confirmationem iustorum in gratia distinguam à perseverantia finali, & aliquid supra telem addere; nam finalis perseverantia communis est omnibus praedestinis. Confirmatio vero in gratia communis non est, solumque aliquibus eximiae sanctitatis conceditur. Difficultas autem est, quid addat confirmatio in gratia supra illius perseverantiam? plures sunt sententiae; prima docet, confirmationem in gratia dicere gratiam nunquam per peccatum interruptam; at vero perseverantiam componi posse cum aliqua gratiae interruptione, ita plures; communiter tamen rejicitur ista sententia, quia plures custodierunt gratiam absque interruptione per longum tempus, qui non dicuntur in gratia confirmari, nec habuerunt donum confirmationis, sed solum finalis perseverantia; ergo hæc sententia non aptè explicat donum confirmationis, prout distinguitur à dono perseverantiae. Video hanc sententiam non posse facile impugnari, nisi supponamus, aliquos ex ista discedere sine interruptione gratiae, qui ex communi Theologorum sensu sunt confirmati in gratia; ac proinde ex communi Theologorum sensu aliquid aliud addere donum confirmationis.

Secunda sententia docet, donum perseverantiae stare in eo, quod Deus impedit peccatum per gratiam singularem; donum vero confirmationis stare in eo, quod Deus impedit peccatum, non solum per gratiam congruam, sed etiam tollendò tentationes ad peccatum. Ita Montes. tom. 2. in 1. 2. disput. 29. quaest. 2. num. 80. Contra tamen, qui omnes Apostoli, ut Theologi supponunt, erant in gratia confirmati, sed patiebantur tentationes, ut Paulus de se dicit: *Datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanae, qui me colaphizat; & alibi: Sento aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae; tum etiam, quia incredibile apparet, Apostolos nullas habuisse tentationes, fidem coram Tyranno testificantes fortiter certantes cum Demone, qui suis instigationibus movebat Tyrannos ad Apostolos cruciandos, simul cum suis suggestionibus curabat Apostolos movere ad infidelitatem; ergo &c.*

Tertia sententia docet, perseverantiam à confirmatione distinguere, quia confirmatio tollit libertatem ad peccandum, & ad amittendam gratiam, quod non facit perseverantia. Ita Ocham. Gabriel, & alij, quos citat, & sequitur Valentia tom. 1. disp. 1. quaest. 15. in 1. illius parte punct. 4. Arriaga disputat. 162. sect. 3. & alij. Hæc sententia quoad confirmationem in gratia in Beatis est certa, quam confirmationem in gratia respectu B. Virg.



Virginis approbat etiam Suarez, & plures alij. Cæterum generaliter, quoad omnes alios confirmatos in gratia non apparet vera, ideoque rejicitur, quia Ecclef. 31. dicitur, *qui potuit transgredi, & non est transgressus*. Et Apocal. 3. *Tene, quod habes, ne aliquis accipiat coronam tuam*. Modò sic. Hæc testimonia generaliter loquendò de omnibus prædestinatis, ac proinde non est aliquis excipendus sine fundamento; sed non est fundamentum ad excipiendos omnes confirmatos in gratia, quandoquidem confirmatio in gratia potest aliter, quàm per necessitatem ad non peccandum explicari; ergo &c.

129. Quarta sententia docet confirmationem in gratia distinguere à perseverantia, quia, confirmatio dicit majorem copiam & congruitatem auxiliorum, quàm mera perseverantia. Ita Suarez l. 10. de gratia c. 8. Rejici tamen solet, quia inter eos, qui habuerunt donum puræ perseverantiæ, alij præ alijs habuerunt majorem copiam & congruitatem auxiliorum, sed non habuerunt donum confirmationis; ergo &c. Nihilominus sustineri potest hæc opinio. Si dicatur eam majorem copiam & congruitatem requisitam ad donum confirmationis nullatenus esse concessam alicui habenti donum solius perseverantiæ.

130. Quinta sententia docet confirmationem in gratia stare in eo, quòd confirmatio in gratia revelata sit perseverantia finalis, quæ cæteris prædestinatis revelata non est. Ita Molina Vasquez & alij, quos citat & sequitur P. Vega Pontius in cursu Theologico disp. 35. quæst. 3. Concl. 10. Contrà tamen, quia felicissimus Iatro Dismas ex illa Christi Domini revelatione, *hodie mecum eris in paradiso*, certus fuit de perseverantia & prædestinatione; similiter revelationes similes de sua salute habuerunt alij ante mortem, ut ex historijs fide dignis constat, sed isti à Theologis non reputantur confirmati in gratia; ergo &c. Confirm. Licet aliquis certò sciat aliquod officium non esse ab eo amovendum, notitia illa non est confirmatio in officio, sed supponit illud, quo in officio confirmatur, nec ab illo amoveatur; ergo pariter ex eo, quòd confirmatio dicat divinum adjutorium, quo homo contra omnes tentationes victor evadit, ea revelatio non est divinum adjutorium; ergo revelatio non est confirmatio.

131. Sexta sententia docet confirmationem in gratia dicere habitum supernaturalem charitatis à Deo infusum, quo justus habet moralem antecedentem necessitatem perseverandi,

& moralem impotentiam peccandi. Ita Portega tom. 3. de prædestin. disp. 6. quæst. 1. certam. 3. docens illum habitum non esse per se infusum, sed potius per se acquisibilem per actus supernaturalis dilectionis, infundi tamen à Deo per accidens majori intensione, quàm plurimis & repetitis actibus potest acquiri; docet deinde illum habitum esse charitatis, quia ejus motivum est nobilius & generale, cum ad gratiam, & amicitiam Dei conservandam, tum ad quodvis mortale in quavis materia evitandum; posse talem habitum moraliter necessitare ad non peccandum, patet; quia habitus propriis actibus acquisitus, quando valde intensus est, affert inclinationem, & moralem necessitatem ad suos actus, ut experientià constat; ergo multò magis ille habitus per accidens à Deo infusus, cum sit ejusdem naturæ, & magis intensus moraliter, necessitabit ad actus dilectionis, & amicitiae Dei, quibus conservatur, & evitatur mortale.

Fundamentum hujus sententiæ est, quia donum perseverantiæ est quid permanens in justo, cum justus per illud donum sit permanenter stans in gratia contra peccatum. Deinde D. Thomas quæst. 24. de verit. a. 9. ait: donum confirmationis stare in eo, quòd justus ita inclinatur in bonum, ut difficile possit ab eo dimoveri, quin ex eo tollatur libertas peccandi; sed hoc nihil est aliud, quàm ille habitus permanens; ergo &c. Confirmatur. Sic optimè explicatur donum confirmationis, quod nequit aliter explicari, ut patet aliarum sententiarum impugnatione; neque exinde confirmatio in gratia minuit meritum; quia, quando resistit tentationi, non solum resistit per actum remissum, ad quem est moraliter necessitatus, sed per actum valde intensum, ad quem moraliter necessitatus non est; ac proinde potius ex eo dono augetur meritum, quàm minuitur. Placet hæc sententia, quia accuratè & clarè explicat donum confirmationis supra donum perseverantiæ, & adimplet cognitionem, quam de confirmatione habent Theologi.

Ex dictis inferes, indurationem impiorum in malo, stare in habitu intensissimo repetitione peccatorum acquisito, quo impius ita propeudit, & trahitur in peccatum, ut ei sit moraliter impossibile resistere tentationibus, nec acquiescere divinis inspirationibus. Quapropter induratio distinguitur ab impenitentia finali in eo, quòd impenitentia finalis non importet illam moralem necessitatem, quam importat induratio; sed de his locus in Tractatu de prædestin. & reprob.

